CLEMENTIS IANITII

POLONI POETAE LAVREATI

POEMATA

IN

VNVM LIBELLVM COLLECTA

ET

OB INSIGNEM RARITATEM
AC PRAESTANTIAM
DENVO EXCVSA

CVRANTE

IO. EHRENFRIED BOEHMIO

LIPSIAE

SVMTIBVS IO. GEORG. LOEWII

MDCCLV

ILLVSTRISSIMO

REVERENDISSIMO EXCELLENTISSIMO

IOSEPHO ANDREAE

COMITI IN ZALVSKIE

ZALVSKI

SVPREMO

REGNI POLONIAE

REFERENDARIO REL.

MVSARVM PRAESIDIO

AC

ORNAMENTO

ILLVSTRISSIME
AC REVERENDISSIME
DOMINE

*P*atere *pro incredibili* TVO, *erga litteras, fauore,* ILLVSTRISSIME DOMINE, *vt, quos mecum communicari benigniſſime iuſſeras, Ianitii Elegos, eos* TIBI, *alia licet, prorſusque noua, forma indutos, in conſpectu omnium, ſumma cum gratiarum actione, demiſſiſſime reddam. Non enim commodior obuenire mihi potuit occaſio, qua ſingularem plane benignitatem* TVAM, *ab illo tempore, quo Varſauiae* TIBI *innoteſcere coepi, praeſtitam mihi, palam profiteri ac praedicare queam. Vtinam contingat mihi eſſe aliquando tam felici, vt, quemadmodum* TV *virtutibus, ac doctrinae laude, Cricium, illum Demoſthenem Sarma-*

maticum, *totus refers*, *atque exſuperas*, *ita ego carmine*, *et ingenio*, *aemulari poſſim ſummam Ianitii pietatem*, *ne inter reliquos*, TVI *cultu certantes*, *tacitus tantum reuereri immortalia merita* TVA *videar. Deum Optimum Maximum precor*, *vt*, *cum* CELSISSIMO FRATRE, *Principe Muſarum amantiſſimo*, *omniumque virtutum Exemplo*, *quam diutiſſime ſoſpitem* TE *conſeruet! Dabam*, *Dresdae*, *a. d.* XXX. *Dec. A. R. S.* CIↃ IↃCC LIV.

NOMINI TVO ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO

deuotiſſimus

IO. EHRENFRIED BOEHMIVS

PRAEFATIO.

Clementis Ianitii, ſeu, vt eum *Starouolſcius* nominat, Ioannicii *), Polonorum Poetae laudatiſſimi, carmina noſtris in oris adeo parum huc vsque innotuerunt, vt curioſiſſimis oculis vix vnquam viſa fuiſſe credam. Nec enim, in ipſa Polonia, frequentius obuenire, Cl. *Ianockius* **) monuit, Vir de Polonicis litteris optime meritus, quum ea libris, qui in inſtructiſſima ZALVSCIORVM Bibliotheca adſeruantur, adnumerare quam rariſſimis nullus dubitauerit. Is vero pro ea, quae nos intercedit, veteri amicitia, ante hos paucos menſes, mecum illa communicauit, et quum elegantiſſima ſint, e re litteraria fore putaui, ſi omnia in vnum colligerem

 rem

*) Hanc, a *Starouolſcio*, in Elogiis centum illuſtrium Pol. ſcriptorum, p. 46. mutatam nominis Ianitiani formam V. Cl. *Ioechero* occaſionem puto dediſſe, vt vnum, eundemque, hominem in duas transuerterit figuras. Vid. Jöchers Gelehrten-Lexicon, T. II. p. 1838. et 1895.

**) Vid. Janotzki Nachrichten von denen, in der Zaluskiſchen Bibliotheck ſich befindenden, raren Pohlniſchen Büchern, P. II. p. 144.

rem libellum, iterumque excuſa in conſpectum darem. De quibus priusquam plura ediſſeram, patieris aequo animo, Lector, vt, per hanc occaſionem, Auctoris vitam, velut in contractiori tabula, tibi exhibeam.

Natus eſt Clemens Ianitius patre agricola, Ianuſcii, in Maiori Polonia, anno milleſimo quingenteſimo decimo ſexto, die menſis Nouembris quarto. Puer quinque annorum, Scholae Snenenſi traditus eſt, vt iis innutriretur artibus, quibus prima aetas informari ad humanitatem ſolet. Euocatus deinde in Collegium Poſnanienſe, quod a conditore ſuo, Ioanne Lubranſcio, Epiſcopo, Lubranſcianum adpellatur, Andreae Cricii, Archi-Epiſcopi Gneſnenſis, illius ingeniorum ſummi fautoris, egregia liberalitate, atque munificentia, tantos breui progreſſus fecit, vt incitatam aequalium ſuorum induſtriam quadrigis, vt dicitur, albis anteceſſiſſe mirarentur omnes. Ibi, nactus praeceptorem, virum quendam Apollinarem, poeſin inprimis colere coepit: ad quam tanta ingenii vis ipſi inſita fuit, vt, annos natus non amplius quindecim, iam capax haberetur, qui, in pleno theatro, adplaudentibus omnibus, Lubranſcii laudes carmine praedicaret elegantiſſimo.

Exin-

Exinde a Petro Cmita, Palatino Cracouienſi, in cuius gratiam, poſt fata Cricii, venerat, Patauium eo tempore miſſus fuit, quo *Lazarus Bonamicus* omnes meliores diſciplinas, magna nominis celebritate, profitebatur. Cuius inſtitutione, et conſuetudine, factus doctior, lauream mox meruit Poeticam *):

*) Refert quidem *Starouolſcius* l. c. Ianitium a Maximiliano I. Imperatore, mediante Petro Cmita, laurea Poetica donatum fuiſſe; quod tamen, veritati quam maxime abſonum, ſatis refutauit laudatus *Ianockius*, l. c. p. 50. Nondum enim quartum adimpleuerat annum, quum Maximilianus I. anno 1519. iam e viuis ſublatus fuit. Rectius igitur ſentit *Ianockius* meus, quando, ex Epigrammate, quod Libro Epigr. p. 132. exſtat, meliora edoctus, hunc habitum Ianitio honorem, ab Italis oris, accerſit. Nec parum roboris huic ſententiae addere poſſumus verbis ipſius Ianitii, qui, teſtis rerum ſuarum veraciſſimus, Eleg. VI. libr. Triſt. de *Bonamico* refert:

Dimittis: TITVLOS *mihi ſed tamen ante procuras,*
Qui nunc in vulgo non leue pondus habent.
Scilicet illud agens, nimium macilentus vt iſte
Pulchrior, in phaleris talibus, eſſet equus.

Nec alia dicit, Epigr. lib. p. 132.

Non igitur poteris, LAVRVS, *quam primus ad Arcton*
Ipſe tuli, in tanto viuere NOSTRA *gelu.*
Nam nuda, et tenera eſt, infirmaque viribus, et quam,
A LATIO, *longum debilitauit iter.*

Vtrum

ampliora ſine dubio adhuc adſecuturus, ſi, per morbos continuos, et inprimis per hydropis ingraueſcens malum, diutius Pataui morari licuiſſet. Reuerſus igitur in patriam,

Spe citius, citius quam Cmita volebat,

breue vitae tempus, quod adhuc vixit, Cracouiae, in Muſarum amplexibus tranſegit, modo legendo, modo ſcriptitando verſus, modo amicorum collocutionibus aegrum, a morbo corporis, animum ſibi demulcens. Editis tribus Elegiarum libris, paullo poſt moritur, anno MDXXXXIII. aetatis XXVII. poeta ob inſignem, liceat vti *Starouolſcii* verbis, eruditionem, blandamque ingenii comitatem, excellentibus in Europa viris, ſummaque dignitate in Polonia praeditis, quam cariſſimus. Praeter poeſin, qua eximium ſibi nomen comparauit, aliis adhuc conſpicuus fuit artibus. Linguam Graecam haud mediocriter didicerat. Rerum Mathematicarum adprime gnarus fuit. Scripſit enim, ſi *Starouolſcii* teſtimonio inſiſtendum, Arithmeticam. Praeter iam dictos, adhuc Stanisl. Hoſium, Ioannem

Vtrum vero vel a Summo Pontifice, vel, quod ego crediderim, a Patauinis, quibus lauream conferendi poteſtas erat, illi hoc decus obuenerit, expedire non licuit; quamuis ſtudium nobis haud defuerit.

annem Dantiſcum, Tidemannum Giſium, et Sam. Macieiouium, Antiſtites, fautores coluit. Et ipſi etiam Petro Bembo carus iucundusque fuit: Cromerumque amiciſſimum ſui habuit.

Prodierunt autem Elegi, nulla licet facta anni locique mentione, Cracouiae, ex officina Vngleriana, ſub finem anni 1542. hoc inſignes titulo: *Clementis Ianitii, Poetae Laureati, Triſtium liber I. Variarum Elegiarum liber I. Epigrammatum liber I.* in forma octaua. Facit, in rem noſtram, praecipue *Sabinus* *), poeta ille celeberrimus, quum ad Stanislaum Diaduſium, Polonum, anno 1543. menſe Aprilis ſcribit: *Extant ſcripta Stanislai Hoſii, Orichouii, Cromeri, et aliorum, in quibus lineamenta Tullianae dictionis comparent, et* NVPER *editis tribus elegiarum libris Ianitius Poeta praeclarum ſui ſpecimen edidit.* Eadem dicit *Ianockius,* qui l.c. p.41. hoc Bibliothecae ZALVSCIANAE cimelium perquam erudite recenſet.

Praeter haec ingenii prorſus egregii ſpecimina, reliquerat Ianitius Vitas Poloniae Principum, et Archi-Epiſcoporum Gneſnenſium, illas in gratiam Petri Cmitae, has vero, iuſſu Cricii, conſcriptas. Diu, plus nimium diu, abditae

*) Conf. *Sabini* Poemata, p. 461.

abditae latuerunt, donec tandem priores, a Marco Ambrosio, Nissensi, secum communicatas, anno 1563. in lucem emisit Guilielmus Siluius, bibliopola Antuerpiensis. Sic demum publici iuris factas inseruit eas Sarmatiae Europeae *Alexander Guagninus*, quas deinde *Pistorius*, in *Corpore Pol. Scriptorum*; *Tom. II. p.* 398. repetiit. Prodierunt etiam, vt *Hoppius*, in Schediasmate litterario, *de Sriptoribus Historiae Polonae*, p. 17. refert, seorsim diuersis vicibus, nempe, Cracouiae 1574. 8. deinde Gedani 1621. 4. et tandem Stendalii, 1670. 12. Antuerpiensi autem editioni, quam, ex Bibliotheca Regia Dresdensi, ab eruditissimo *Clodio*, benigne nobis concessam, ante oculos habuimus, praeter exspectationem adpositum inuenimus Dialogum, in Polonici vestitus varietatem, et inconstantiam. Huic licet non adeo leniter fluens oratio, quum tamen Ianitii nomen referat, non potui facere, quin libro variarum Elegiarum adiungerem. Ceteroquin nec hic omittere possum egregium sane *Braunii*, de iis, iudicium: *Sunt certe dignae lectu*, inquit is, in libro, de Scriptorum Pol. et Prussiae virtutibus et vitiis, p. 47. *quae singulorum Ducum Regumque Poloniae gesta vsque ad Sigismundum I. sententiosis exprimunt distichis.*

Vitas

Vitas quod adtinet Archi-Epiſcoporum Gneſnenſium, eas primum extra limen protraxit *Andreas Triceſius*, Eques Polonus. Addiderat adhuc et ipſemet editor, cui nec minus os magna ſonaturum fuit, vitas eorum, qui ab Andrea Cricio, poſt obitum Ianitii, illi Sedi, ad annum 1574. Coronatione Henrici Valeſii memorabilem, praefuerunt. Quae tamen, ab ingenio Ianitii haud profecta, omittere lubitum animo fuit. Excuſae fuere Cracouiae, in officina Scharffenbergiana, anno 1574. in 8. Plura, de hac editione, neque *Hoppio*, neque *Braunio* viſa, habet V. Cl. *Ianockius*, l. c. p. 51. vbi etiam, de *Triceſio*, quaedam non vbiuis obuia adferuntur.

De Epithalamio autem, quod nuptiis Sigismundi Auguſti deſtinauerat, fere dum ipſam ageret animam Ianitius, nihil amplius habeo, quod dicam, quam quod, poſt fata Auctoris, a fratribus, Ioanne Antonino, et Auguſtino Rotundo, Ianitio amiciſſimis, anno 1543. apud viduam Vngleri in 4. publicatum, nos amplius de anno Poetae fatali dubitare non ſinat.

IN

IN NOVAM

CLEM. IANITII POLONI

POEMATVM EDITIONEM

CRISENIVS BEROENSIS P. A

Auctor est Illustr. Joh. Gottlob Boehme Pr. P. O. Lips. Historiographus Saxonicus et Ser. Elect. Sax. consiliar. aulic.

O mihi Ianitii dulces ſaluete Camenae!
  Tuque mihi ſalue, Calliopea chelys!
Itala quam coluit tellus, cui, captus amore
  Totus Apollineo, Viſtula plauſit aquis.
Cui Cricius placidas, et cui Cmita, adplicat aures,
  Maxima Caſtalii gloria vterque chori.
Et Cricio ſimiles, Cmitae ſimilesque, ZALVSCI,
  Sarmatiae columen, Sarmatiaeque decus.
O! tibi tam longae ſuperent ſi ſtamina vitae,
  Neſtoreoque ſeni venerit atra dies:
Hi quoque, Ianiti, fuerint pars magna libelli,
  Ornarintque modos nomina clara tuos.
Ledaei fratres, patrii capita alta ſenatus,
  Inſignes meritis, et pietate, viri.

Crisenius Beroensis vocabatur in Societate Arcadum.

Atque

Atque Aganippaeae caneres praeconia laudis,
Et caneres doctae limina sacra domus:
Queis Charitum chorus omnis adest, vatumque cateruae,
Et resonant mistis aurea plectra tubis.
Tu quoque, Pierios inter memorande sodales,
Iis tumulo cernis te superesse tuo.
Iamque adsis, dilecte mihi, totiesque cupite,
Deliciae Venerum, Castalidumque, liber.
Ornatus minio venias, ac fronte politus,
Et tibi sit toto gratus in ore decor:
Qualiter Heerkenio visus, sua cura, Secundus *),
Qualiter Heerkenius visus et ipse mihi.
Ille Camenarum castus, Phoebique, sacerdos,
Ille sodalitii lucida stella mei.
Nec te Lechiades tantum teneantque, legantque:
Te foueat, Musas, sertaque quisquis amat.

Lipsiae, a. d. VII. Id. Ianuar. CIƆIƆCCLV

*) *Ger. Nicol. Heerkens*, Poeta, ac Medicus Groninganus, scripsit cultissimos elegos, in *Petri Lotichii Secundi* Poematum nouam editionem, quae, studio *Petri Burmanni*, V. C. prodiit, Amstel. 1754. 4.

SYLLA-

SYLLABVS
OPVSCVLORVM.

TRISTI-

TRISTIVM LIBER.

ELEGIA I.

Mandat libello, vt, in publicum proditurus, D. SAMVELEM, *Cracouienſem Praeſulem, R. Q. P. Cancellarium primum, adeat, atque, vt, ſub eius nomine, exire poſſit, roget.*

I Liber, i tandem! fruſtra obluctamur amicis,
In lucem tenebris progrediare tuis.
Seruus eris vulgi, vili mercabilis aere,
Nil, in te, patrii iam mihi iuris erit.
Et ſeu probra tibi lector, ſiue ingeret ignem,
Necquicquam noſtram flendo vocabis opem.
Quid trepidas? vultuque mihi das ſigna timoris
Non taciti? in nidum te retrahisque tuum?
Si metuis doctorum oculos, quis iniquior vno,
Aut etiam quis te ſtultior eſſe poteſt?
Candida Pieriis ſunt pectora ſemper alumnis:
Qualia Maeonius pectora cygnus habet.
Ignoſcunt humana aliis errata, viciſſim
Ignoſci erratis ſaepe petuntque ſuis.
Si metuis rude vulgus, habes quod iure timere,
Quando animo puer es debiliore, potes.
Quo quis erit, tot in indoctis, indoctior, in te
Hoc animi iudex aſperioris erit.
In tua declamans errata, in plebe videri
Magnus, et e noſtra creſcere clade volet.

Quum leget, attollet risum: clamabit, ad ignem,
 Ad latrinae olidam et putidi oris aquam.
Qua possis igitur securior ire per hostes,
 Vnam, quam paucis accipe, cerno viam.
Vidi ego, per Latium, qua callidus arte viator
 Omne sibi tutum reddit, et vrget, iter.
Nomina, cum sculptis alicuius Principis armis,
 Assuit in lacerae partē priore togae.
Praesidio quorum securus vbique pericli est,
 Multa hominem sequitur gloria, multus honor.
Tu quoque non aliter te, progressurus, obarmes,
 Illustret frontem nobile stemma tuam.
Vnde petas, dicam: sed tu depone timorem:
 Cur timeas magnum parua rogare virum?
Praesulis ire para sacram *Samuelis* in aulam,
 Qui te, captato tempore, ducat, [erit.
Semper enim Antistes, suprema negotia Regni
 Tractat, signa sibi credita cuius habet.
Ergo importunam venias ne forte sub horam,
 Cura adhibenda tibi, cura adhibenda mihi est.
Quum venies, dabiturque loqui, sic incipe, sacros
 Prostratus magni Praesulis ante pedes:
Gloria Pontificum, *Samuel*, et, tempore nostro,
 Qui titulis vnus par potes esse tuis.
Nuncius a quodam, media de plebe, poeta,
 Aduenio, parui iussa secutus heri.
Vt venerer primum te, supplex, inde reuerso
 Gratuler, vt pro me denique pauca rogem.

Euocor

Euocor in vulgus, iubeorque exire: tot inter,
Vt poſſim turbas currere tutus, ades.
Numine me tueare tuo, tueare fauore,
Daque mihi ſerui nomen habere tui.
Vtque tuus credar, coetuque agnoſcar in omni,
Quem geritis, rubrum da mihi ferre bouem.
Qui mihi ſi ſplendor deſit, contemnar in iſta
Veſte, miſer, media proterar inque via.
Namque hodie, quod ſcis, de ſolo vulgus amictu
Aeſtimat, et tunicae de bonitate, virum.
Vilis homo eſt, qui non incedens fulgeat auro;
Vilis homo eſt, quem non ſerica texta tegant.
Atra lacerna mihi eſt, facies ſimul atra, quod vnus
Materiae cultus conuenit iſte meae.
Praeter enim morbos, gemitus, lamenta, dolores,
Nil cano, nil habeo: *Triſtis* et inde vocor.
Ergo rubere tuum, nigra de veſte, iuuencum
Da mihi, conſpicuus ſic ero, clarus ero.
Nec tantum in populo: Regum quoque forſan in altas
Noſtrorum admittar, perueniamque, domos.
Imperio quorum longo tuus iſte iuuencus
Sarmaticas, longo tempore, paſcat oues.
Haec vbi finieris iam verba, Libelle, putato,
Te deſiderii vota tenere tui.
Annuet, et dextram tibi porriget ille benignam,
Inque patrocinio te volet eſſe ſuo.
Sic bene prodibis: tanto ſub nomine magnus,
Crede, Polonorum te comitabit amor.

Sed quacunque feret tua te fortuna, videto,
 Ne nimium magnus tu videare tibi.
Neue ſupercilium ſumas tibi grande: Beatus,
 Metitur proprio qui ſua, ſeque, pede.
Agnoſcas errata, quibus ſi pagina nobis
 Vlla vacat, certe pagina rara vacat.
Nec mirum: quia, dum ſcribo haec, quae ferre iuberis,
 Et cano flebilibus qualiacunque modis,
Non mihi Pieridas, ſed mortem, adſtare videbam,
 Prenſantem nigra me, calamumque, manu.
Quod ſi quid Lector Naſoni ignoſcit, in atro
 Tempore, quod plectri languidioris erat;
Nec mihi durus erit, qui, dum ſcribo iſta, querorque,
 Non exul, ſed iam nil niſi funus, eram.

ELEGIA II.

Precatur Diuam Virginem MARIAM, *vt illi, in febribus quartanis Patauinis, tolerantiam, fortemque animum, impetret.*

Quid mihi nunc veſtris, Muſae, cum cantibus? Haec ſunt
 Tempora laetitiae ſcilicet apta meae?
Dum crucior, rapidoque miſer comburor ab igni,
 Horrenti pariter conglaciorque gelu.
Dum patior cunctos, quos febris amara, dolores,
 In poſſeſſa ſemel corpora ferre ſolet.
Sed tamen ille etiam cantat, qui parua, ſuperbas
 Ante fores, tremula flagitat aera manu.

Et

Et mea par cauſſa eſt: cantu implorabo ſupernam,
Vis nihil humanae quum iuuat artis, opem.
O mihi in adflictis ſemper fidiſſima rebus
Adiutrix, ſummi nata, parensque, Dei!
Nunc quoque, nunc oculos, ad me, demitte benignos,
Et querulas ſerui ſuſcipe, Diua, preces.
Cui quod adhuc licet iſta queri, linguaeque poteſtas
Integra quod ſupereſt, debet id omne tibi.
Debet et exiguum hoc animae, quod, pelle ſub iſta,
Has inter venas, inter et oſſa, latet.
Haec tria nam primo mihi ſola e corpore reſtant;
Cetera ſunt longi rapta furore mali.
Sanguine deficior, ſuccusque, colorque, receſſit,
Quaeque mihi nuper non mala forma fuit.
Pallor is eſt, maciesque, in me, qua ſaepe videri
Vana ſepultorum corpora nocte, ferunt.
Lumina vt, in ſpecubus, latitant defoſſa duobus,
Inque acie multum ſunt hebetata ſua.
Ferre caput nequeo collo, quod membra ſequuntur
Cetera, non illo languida facta minus.
Officium, recte quo fulgebantur, inertes
Deſeruere manus, deſeruere pedes.
Adfixus lecto totis decumbo diebus,
Vt nuper natus, viribus absque, puer.
Iamque mihi videor poena par eſſe Prometheo:
Adfixus Scythicis ſic fuit ille iugis.
Nulla ſui fuerat vincto, de rupe, poteſtas:
Me quoque vis morbi non ſinit eſſe meum.

 Illius

Illius infelix praecordia vultur edebat:
Internus lacerat viſcera noſtra dolor.
Non illi requies vlla, a tortore, dabatur:
Qua non excrucier, non datur hora mihi.
Verum aliquo potuit volucris terrore fugari
Illa: poteſt peſtem nemo fugare meam.
Defeſſi torpent medici, nec, quid ſit agendum,
Amplius expediunt, quodue ſequuntur, iter.
Naturae genitor magnum dum conderet orbem,
Partiretur opes inque creata ſuas;
Infudit tacitum plantis, herbisque, vigorem,
Quem noſtra in varium vita vocaret opus.
Hoc dedit et gemmis, dedit hoc pater ille metallis,
Hoc generi volucrum, quadrupedumque, dedit.
Ignorata diu latuit vis illa: recentis
Nam ruditas populi grandis, inersque, fuit.
Experiens ſubiit poſthac ſolertia, et vſus
In clara poſuit multa reperta die.
Cognouitque nocens, cognouit et vtile, eodem
Sub cumulo, in partes ſepoſuitque duas.
Hinc ortum medicina tulit, miſcetque perenne
Cum tot corporeis praelia dura malis.
Illa quidem victo ducit ſaepe hoſte triumphum,
Et ſtatuit ſacra ſaepe trophaea manu.
Febre tamen nunc victa mea eſt, (ignoſcat Apollo!)
Atque, in me, robur perdidit omne ſuum.
Sic ſummo placitum eſt Regi, qui ſerior, in me,
Vindicat offenſas, hac bonitate, ſuas.

Plura,

Plura, Pater, merui; vitam te laedo per omnem,
  Iam dudum infernos dignus adire lacus.
Nil intentatum, contra te, paene reliqui,
  Et quamuis essem filius, hostis eram.
Gratia magna tibi, punis extrema merentem,
  Nec iacis in nocuum debita tela caput.
Certe ego si scelerum sim iudex ipse meorum,
  Iudicii gladio plecterer ipse mei.
Clamarem: aeternos me praecipitate sub ignes,
  Aut date Tartareis anguibus esse cibum.
Tu nil tale iubes, Genitor, nec iudicis aequi,
  Sed blandi partes admonitoris agis.
Meque leui sat habes virga perstringere; mater
  Vt puerum, fluuiae quod male fidat aquae.
Adde aliquid grauius, quaeso: quem corrigis, illum
  Tunc reuocas, et vis, vt prius, esse tuum.
At tu, Virgo, adsis, pro meque, vt fortiter omnes
  Euincam gemitus, sustineamque, roga!
Neue queri mihi sit, durumque vocare Tonantem;
  Compulit hoc multos dicere saepe dolor.
Quae patiar, nihil esse putem: grauioraque multo
  Me fatear noxis commeruisse meis.
Mortem etiam laetus videam, si forsitan, ad me,
  Iam nunc occulto iussa venire pede est.
Nescio, cur nobis possit metuenda videri,
  Sit magis ad caussas quando vocanda duas.
Interimet corpus, non amplius vlla facultas
  Peccandi, et summum laedere Numen, erit.

Eruet e tenebris animum, coeloque remittet:
Illa ſit o vtinam non procul hora mihi!
Tunc oculis cernam, quae nunc neque mente valemus
Concipere, humano nec memorare ſono,
Teque, tuosque omnes: tunc me, Regina, vocabis,
Et facies veſtros ante ſedere pedes.
Cur id enim dubitem? neque tunc me, Diua, relinques,
Turbine in hoc vitae, ſi mihi ſemper ades.
Semper ades, faciasque precor, dum viuus in iſto
Fallacis mundi iactor, agorque, mari.

ELEGIA III.

Excuſat PETRO CMITAE, *Viro Illuſtri, Patrono ſuo, ſilentium ſuum Patauinum, et, per occaſionem, in laudes Philoſophiae excurrit.*

Cmita, tuae ſplendor patriae, ſeu plurima ſpecto,
In te, virtutum ſidera, ſiue genus.
Ecquid agis, poſtquam data ſunt tibi carmina tandem,
A me, poſt menſes vix quoque miſſa nouem?
Scilicet accuſat ignauum pectus, et iſtam
Forte putas animi deſidis eſſe moram?
Dii mihi ſunt teſtes, tam larga quod otia nobis
Nulla ſatis facerent, quae tibi prorſus erant.
Eſt opus ad carmen, quod te dignum ſit, et amplo
Tempore, et internis morſibus eſſe procul.
Me variis agitat curarum turbo procellis,
Aſper vt, in pelago, carbaſa fracta Notus.

Nec

Nec tamen et reliquis, ista quae sector in vrbe,
Tollitur hac studiis anxietate vigor.
De cunctis, solae subeunt haec damna Camenae:
De cunctis, solas haec mea laedit hiems.
Non amat haec curas genialis turba Dearum;
Non vult sollicitas ante venire fores.
Hinc etiam lucos, et prata, et amoena poetae
Flumina Musarum constituere domos.
Illarumque comas laetis cinxere coronis,
Et cantum, et dulces attribuere domos.
Hic habitus felix, (quota pars tamen huius in isto est?
Pompaque temporibus dissonat ista meis.
Sic valeam, quod in hoc, qui iam prope praeterit, anno,
Nescio, iucundam quid sit habere diem.
Nunc tua suspicio me torquet, et hostis, eamdem
Qui tibi materia firmat, alitque, tua:
Nunc animum crucio terrore, metuque futuri:
Vt miser exorta nauita nube solet.
Sic timor ergo diem turbat, mala somnia noctem;
O soror infernis, sollicitudo, Deis!
Tu mihi fregisti plectrum, quod amicus Apollo
Donarat, vitae post tria lustra, mihi.
Tu mihi seuisti spinas, in pectore, et illis
Aonidum ex illo pulsus abiuit amor.
Est etiam, est aliud, fateor, cessare quod istud
Pierio motum numine fecit opus.
Nemo simul coluit magni sacraria Phoebi,
Naturae obscuras edidicitque vias.

Ipſe Maro, (ſi non tamen eſt tenuiſſima ſummis,
Et ſolem tenebris aſſimilare, nefas,)
Dum latebroſa ſui ſequitur praecepta Silonis,
Et rerum cauſſas excutit, atque vices,
Otia non habuit laetas, per prata, capellas
Ducere, et agreſtes voce mouere Deos.
Aut facere, vt cupidis parerent arua colonis,
Horrida vel Phrygii ſcribere bella Ducis.
Me quoque mirantem Sophiae penetralia, tempus
Deficit ad Clarii ſacra redire Dei.
Hanc tanto maiore ſequor conamine, quanto eſt
Fortior humanis illa medela malis.
Haec eſt fortunae domina imperioſa malignae,
Sub magnum rapiens illius arma iugum.
Iura dat aerumnis, victo dat iura timori,
Nec ſcit ob aduerſas vertere terga vices.
Haec eſt, quam veteres dixerunt Pallada, quae ſit
Diuino ſummi vertice nata Iouis.
Lorica pectus, clypeo armauere ſiniſtram,
Haſtile in dextra ferre dedere manu.
Et galea texere comas, violentus in illam
Impetus, vt nullum poſſet habere locum.
Haec eſt, quae miſeri caſus comitauit Ulyſſis,
Atque illum fida ſola leuabat ope.
Hac duce et Antiphaten effugit, et antra Cyclopum,
Vicit et Ionii monſtra canora maris.
Quum ſocii in varias vertiſſent ora figuras,
A magico ſolus carmine tutus erat.

Omne

Omne genus vicit, per bis duo lustra, malorum,
Tot profugus terris, totque agitatus aquis,
In patriam rediit, fatis perfunctus amaris,
Vltus et est hostes, hac quoque dante, suos.
O regina, caput rerum, quae colla potentis
Fortunae, libuit quo tibi cunque, rapis!
Vtque omnes rotat illa, rotat simul omne, quod vsquam est:
Sic ruit imperiis ipsa rotata tuis.
Quo maior tua laus, ex hac quod sola triumphum
Tu, quae, de cunctis, sola triumphat, habes.
Si non Annibalis virtus immensa fuisset,
Scipiadae nunquam gloria tanta foret.
Fama Neoclidae sit cur ita clara, videmus:
Aurorae dominum fregerat ille ducem.
Qui potuit summos, a stirpe, euertere montes,
Aequoreum vinclis et cohibere Deum:
Et magnae aeternas naturae frangere leges,
Quum totae fluuiis ebiberentur aquae.
Sed memor vnde abii? Te, te, fortissima virgo,
Adpello, et tecum, si sinis ipsa, loquor.
Sic loquor, vt cupiam demens, conatibus impar,
Tollere onus, laudes dicere posse tuas.
Si Iouis, in terram, demigret et ante suorum
Laudatorum oculos conspiciendus eat,
Protinus attoniti praeconia coepta relinquent,
Inque sacram vertent protinus illa precem.
Sic ego propositum mitto laudantis, et, vt te
Suspexi, vultus numen adoro tui.

Ante

Ante ſacros procumbo pedes, imploro benignam
   Cum gemitu timidis ſupplice rebus opem.
Da mihi, ne metuam quidquam, niſi turpe, tuisque
   Debeat, a templis, quidquid abeſſe procul.
Da mihi, quum veniet, mortem contemnere, vt illi,
   Cui dedit intrepidam pota cicuta necem.
Aut illi, qui ſe muro deiecit ab alto,
   Quiue ſub Aetnaeos ſe dedit ipſe rogos.
Da mihi, dum viuo, fortunae fulmen iniquae
   Vincere, virtutem quo petere illa ſolet.
Si Zephyros nobis promittunt fata benignos,
   In laetis, doceas, ſcire tenere modum.
Sed puto, promittunt: neque enim te, *Cmita*, dediſſent,
   O lux, o patriae magna columna, mihi.
Impediat liuor quantumlibet, vt ſibi id vnum,
   Quod pudeat poſthac, conciliare queat.
Me tua ſolatur prudentia, qualis in illo
   Vandalici generis vix fuit ante viro.
Actaque vita mihi, ſine crimine, quale fauorem
   Crediderim merito laedere poſſe tuum.
Solatur ſtudium, tibi quod fortaſſe probabo,
   Si dederit reditum ſorsque, Deusque, mihi.
Viſnicios abſens muros hic metior, et qua
   Sub coelum poſſint ſurgere, quaero, via.
Sunt alti per ſe, fateor, magnique tuorum,
   Audeo nil de te dicere, laude patrum.
Maxima Roma fuit: tamen eſt dignata poetis
   Se dare materiam maxima Roma ſuis.

Dii

Dii quoque, quum Dii ſint, nil ſit laudatius illis,
Se praebent ſacris, et ſua templa, modis.
Et tu me patiere, tuis in laudibus, olim,
Et placida noſtrum fronte iuuabis opus,
Vtque iuuare queas, o ſpes mea magna, valeto,
Et me, qui, de te, pendeo totus, ama!

ELEGIA IV.

In ſpem ſe rectae valetudinis vocari ſcribit, IO. BAPTISTAM MONTANVM *nactus Medicum, cuius et laudes celebrat.*

Quo me, quo tandem reddis, Thymbraee, ſaluti
Tempore, tot votis ſollicitate meis?
Iam prope compleſti, obliquis erroribus, annum,
Vt iactor variis, exagitorque, malis;
Nec noſtri miſerere tamen, mala quum tot et hoſtis
Vix poſſet ſiccis noſtra videre genis.
At ſcis, quod patriam, et cariſſima quaeque reliqui,
Quum mihi, ad hanc vrbem, ſuſciperetur iter.
Vt colerem melius tua ſacra, tuasque ſorores,
In terra Marti cedit Apollo mea.
Heu, ſpes conceptae fruſtra: proiecimus omne,
Ponendum in ſtudiis quod mihi, tempus erat.
Arrodi, a tineis, noſtros deploro libellos,
Et de me tacitos audio paene queri.
Ferte, precor, quodcunque mali eſt, me ferre videtis,
Aduenient laeti, poſt grauiora, dies.

Cernitis

Cernitis, vt moestae pepulit modo nubila brumae
Sol pater, auratae vellere vectus ouis.
Reddidit et mundo faciem, rebusque nitorem,
Horrida quem nuper depopularat hiems.
Induit in folium se quaelibet arbor, et almum
Praecingit spicis iam Dea flaua caput.
Mulcetur variis volucrum concentibus aether,
Ingeminat caesum Cecropis ales Ithyn.
Pastor, agens hoedos, lustrat dumeta, notatque,
Anxia quo ramo nidificauit auis.
Chloris odorato nectit de flore coronas,
Proiecta ad riuum lene sonantis aquae.
Coniugis in gremio Zephyrus, cum mitibus auris,
Ludit, ab Hesperiis vsque reuersus aquis.
Singula quid memorem? Phoebi nunc omne reuixit
Munere, prostratum frigore quidquid erat.
Et mea cedet hiems, adeo mihi dura, dabitque
Tandem aliquem veri, credo, repulsa locum.
Iam bene speramus, vel si, cum falce minaci,
Accubet ante meas mors violente fores.
Vt suscepta tibi est nostrae, *Montane*, salutis
Cura, feres certam tu mihi solus opem.
Namque potes, vel nemo potest; licet ipse, sub auras,
Phoebigena a Stygiis restituatur aquis.
Arte tua quantum valeas, excelsa notarunt
Iudicia, et magni constituere viri.
In quibus est Clemens, Romani pastor ouilis,
Clementis moriens Hippolitusque nepos.

Tam

Tam cito nil in me, clamabat, iuris haberet
 Mors, hic *Montani* ſi foret vmbra mei.
Siccine praeſidio nudatam intercipis arcem?
 Haec obſeruata eſt ſcilicet hora tibi.
Illum haec iactantem fruſtra Dea ſtrangulat: at te
 Moenia Veronae tunc habuere tuae.
Quae ſi non eſſent Plini, nec clara Tibulli
 Natali, poterant clara ſat eſſe tuo.
His ego, te propter, vitam debebo, ſimulque
 Patribus, Hadriacas qui moderantur opes.
Illorum precibus Patauinam victus in vrbem
 Veniſti, ad medici ſacra docenda Dei.
Nolebas: non quod, ſi te noſti ipſe, videres,
 Eſſe tuis impar viribus iſtud onus.
Sed quia cum patriis animus tibi viuere amicis,
 Tranquilloſque dies continuare, fuit.
Nec dabit hoc locus eſſe tibi: quia ſemper honores
 Conſueuit varius concomitare labor,
Inuidiaeque furor, quem calcauere ruentem
 Semper, praeclari non timuere viri.
Hoc quoque tu facies, tecum gaudebis et ipſe,
 In te quod liuor, quo crucietur, habet.
Parua ſinit, quod ſcis; altiſſima tentat; vt altis
 Saepius incumbunt fulmina vana iugis.
Vana: immotus enim manet, aeternumque manebit,
 Percuſſi toties a Ioue montis apex.
Et tu montis habes nomen; contemne, quod acri
 Virtuti nulla parte nocere poteſt.

Nec

Nec numerato, hoſtes quot habet tua gloria, ſed quot
Te celebrant, nomen ſuſpiciuntque tuum.
Maior is eſt numerus, cuius pars vna, per omne,
Quod me fata volent viuere, tempus ero.

ELEGIA V.

PETRO MISCOVIO *ſtatum valetudinis ſuae, et itineris incommoda, in patriam reuerſus, ſcribit.*

Si tibi, ſi rebus ſunt fata benigna tuorum,
Sunt nimium rebus fata benigna meis.
Sim licet aeger adhuc, nec dum mihi prorſus ab illa
Sit liber fuſa, ſub cute, venter aqua.
At iam paene nihil de peſte remanſerat illa,
Quum longum, a vobis, ingrederemur iter.
Sed ſcis, quod, laceram puppim quum nauta refecit,
Non ſubito ſummi ducit in alta freti.
Littore ſed primum, portuque explorat in ipſo,
An ſatis ad quamuis tuta ſit illa viam.
Colluſtrat rimas, linit, obduratque, nec vllam
Eſſe putat longam, dum facit iſta, moram.
Verum ego nauta fui praeceps, qui protinus illud
Commiſi in magnum debile corpus iter.
In quo multa tuli, quae vel firmiſſima durî
Membra viatoris laedere poſſe putes.
Continuis bis ſex pluuias, ſine fine, diebus,
Saepe etiam miſta grandine, ſaepe niue.

Idque

Idque per anfractus, male peruia saxa, gradusque
Alpinos, misero quum veheremur equo:
Perque graues olido nebulas de sulphure, cuius
Est, vt scis, illis plurima vena iugis.
Quodque mali extremum est, extremaque poena, per vrbes
Stiriacas, nobis, ruraque, cursus erat.
Tunc ego clamabam, felicem, ac esse beatum,
In Scythicis esset qui peregrinus agris.
Barbarius nihil est Alpina gente, ferumque
Nil magis est, ipsi sint nisi forte lupi.
Aduena, despectus cunctis: est hospes, vt hostis:
Itala praecipue pallia quisquis habet.
Collige, quam potuit mihi tunc locus, imbre madenti,
Ille in inhumana commodus esse domo.
Adde, quod ignarus linguae, quibus aeger egebam,
Cogebar variis significare notis.
Intellecta quidem sunt signa subinde, sed illic
Nemo satisfactum, qui mihi vellet, erat.
Ebria quin etiam risit me turba rogantem,
Atque intellectas noluit esse preces.
Ergo mihi vetitos, vt certa venena, coactus
Sum nimis esuriens sumere saepe cibos.
Vt vero in Morauos descendimus, altaque nobis
Pannonia, a tergo, tota relicta fuit;
Vina bibebamus, coemento infecta, quod illis
Omnia nascantur talia vina locis:
Vel quae nostra Ceres, Lenaeum imitata saporem,
Pocula feruentes miscuit inter aquas.

Pocula non certe nobis ingrata, ſed iſti,
 Vt ratio eſt, morbo non ſatis apta meo.
Haec, et quae taceo, veſtrum laeſere ſodalem,
 Heu! quod ſors veſtrum noluit eſſe diu.
In patriam aufugit, ſtudiis miſer ille relictis
 Tam cito, in externa ne moreretur humo.
Hic ſibi iam propius primam putat eſſe ſalutem:
 Eſt aliquid patrii forſitan aura ſoli.
At tu, cui placidi fauerunt omnia Diui,
 In Muſis iſtic viue, valeque, tuis.
Quod non tam, quia multa tibi debemus, amatae
 Quam patriae cauſſa, Pieridumque, precor.
His ſumma accedunt, per te, ornamenta duobus:
 Sit modo Parca annis non inimica tuis.

ELEGIA VI.

Scribit LAZARO BONAMICO, *Praeceptori ſuo, eiusque, in ſe, beneficia commemorat: de rebus quoque Hungaricis quaedam ei ſignificat.*

L*azare*, conturbor, quoties conſidero, quantum
 Debeat officiis haec mea vita tuis.
Non ſecus, ac alieno aliquis quum merſus in aere eſt,
 Et ſe ſoluendo non putat eſſe parem.
Nam mea quae fuerit veſania, poſſe reponi
 Si rear, a nobis, tot benefacta tibi?
Quae mihi vel tantum numero percurrere, maior
 Sit labor, hic noſtras quam numerare niues:

Quum

Quum grauida, Boreae flatu, de nube solutae
In terram, sparsum vellus vt iret, eunt.
Nam si praeteream prudens, vt plurima, quod sum
Ingressus Clarium, te praeeunte, nemus:
Cognouique viam, simul et compendia, per quae
Pieridum ad sacras venimus vsque fores:
Montis in Aerii summum, rigidumque, cacumen,
Abluto puris fontibus ante pede.
Adspexique nouem, Phoebo cum fratre, puellas,
Et data de magno pocula fonte bibi.
Haec ergo vt sileam, quamuis sint magna, velintque
In summo nostri carminis esse loco;
Plura nec iis leuiora manent, noluntque taceri,
Et poscunt lucem iure, diemque, sibi.
Quid faciam? scelus est iuri pugnare: sed optem
Si plus, quam possim, quid nisi stultus ero?
Obruimur turba meritorum, ac mole, tuorum,
Deprimimurque istud quando mouemus onus.
Quod sum, quod viuo, patriam quod cerno, meosque,
Et mea, post Superos, muneris omne tui est.
Nuper enim vestra, reminisci est dulce malorum,
Quum variis essem fractus, in vrbe, malis:
Meque vnum febres, et peior febribus hydrops,
Sub miseram traherent, et sacer ignis, humum;
Adde, omni grauius leto, dextram vlcus ad aurem,
Ex quo, non paruo tempore, surdus eram:
Quumque Charon cymba iam me expectarat in atra,
Et ferruginea posceret aera manu.

Tu ſubitam mihi primus opem, *Bonamice*, tuliſti,
Sum raptus manibus, de Phlegetonte, tuis.
Tu ſummos aegro medicos, tu cuncta, dediſti,
Quorumcunque illud tempus habebat opus.
Quae mihi, non tuleris ſolantia verba gementi
Sedulus; es nullam paſſus abire diem.
Vt vero tantum reuocaram, in membra, vigoris,
Vt regère inſeſſum poſſe viderer equum;
Infeſtum ſubito coelum mutare iubebar,
Corripere et celerem protinus inde fugam.
Non potui: res me tenuit nummaria egentem,
Aeris inops, nullum carpe, viator, iter.
Hac quoque tu mihi parte lubens, laetusque, mederis,
Inſtruis atque opibus me, reficisque, tuis.
Dimittis: titulos mihi ſed tamen ante procuras,
Qui nunc, in vulgo, non leue pondus habent.
Scilicet illud agens, nimium macilentus vt iſte
Pulcrior, in phaleris talibus, eſſet equus.
Dicite, Sarmatici iuuenes, pars vltima quorum,
Haec dum nobiſcum ſic agerentur, eram!
Dicite, quid, quaeſo, quid me debere fatebor
Huic, qui tanta mihi praeſtitit vnus, ego?
Quod patri? plusquam patri: vitam attulit ille,
Formauit rectis moribus iſte, mihi.
Attulit ille, ſed hic amiſſam reddit, et ornat,
Non vlla potuit quod ratione pater.
Nos amat ille, ſuus ſanguis ſumus: iſte, ſub orbe
Natum alio, nullo ſanguine iunctus, amat.

Plures

Plures ergo Deos ſi noſtra profeſſio ferret,
Qui longus priſcis gentibus error erat:
Lazare, quando, in me, ſuperas pietate parentem,
Te colerem magnum, non minus, atque Iouem.
Relligio vetat hoc: quod non vetat, illud habebis,
Me, donec veniat funeris hora, tuum.
Tam, mihi crede, tuum, quam ſunt tua praedia, in agro
Euganeo, quam quae te tenet iſta domus:
Quam collis, de quo fons ille effunditur, ob quem
Cum claudo nobis bella fuere lupo.
Hoc ego, ſi deſint homines, ſiluisque, iugisque,
Hic ego concretis teſtificabor aquis.
Sed tu iam dudum dimitti poſcis, et optas,
Stridoris faciat barbara Muſa modum.
Parce, libet, de te, mihi dicere vera, maloſque,
Pro meritis, verſus adnumerare tibi.
Iam tamen inuitos etiam cohibebo, premamque,
De Cmita addidero ſi duo verba meo.
Quod tibi nil ſcribit, nil mittit, eo ſit, ab iſta,
In qua ſcribebam, quod procul vrbe fuit.
Implicitum magnis tenet illum Ruſſia rebus,
A ſubitis nunquam Ruſſia tuta Getis.
Moenia nos Craci colimus, curamus et aegrum
Corpus, adhuc illa quod mihi turget aqua.
Quam primum potero, patronum ſubſequar, et res
Communes, illi quando vacabit, agam.
Viue, decus Latii, vel adhuc, ſi forte nouorum
Es cupidus, parua me patiare mora.

 Panno-

Pannonia infestis miseranda euertitur armis;
Heu! quam continuis subdita terra malis.
Rex ibi Romanus sceptrum sibi vendicat, a quo
Trancinum rapuit mors properata lupum.
Iamque caput regni, Budam, est adgressus, et illam,
Exitus in dubio est, obsidione premit.
Hanc Isabella tenet, nostri pulcerrima Regis
Filia, ab extincto sola relicta viro.
Sola, loquor? peperit quae natum in morte mariti,
Cui parat in paruam sceptra paterna manum.
Hoc bona pars Procerum probat, hoc, quem victa tributo
Agnoscit dominum gens ea, Turca iubet.
Vtque sit auxilio, si res ita poscat, ad Istrum,
Cum magna vindex fertur adesse manu.
Quam male Caesareo fratri, sociisque, timemus,
Barbaricas animo quum reputamus opes:
Quas tremit, vt tremuit Romanas ante secures,
Telluris, qua te verteris, omne latus.
Vtque cadant fractae, Deus et fortuna, necesse est,
Coniungant vires, totaque terra, simul.
Quod tempus, longis hominum satiata querelis,
Numina iam tandem non procul esse velint.

ELEGIA VII.

De se ipso, ad posteritatem, quum in summo vitae discrimine versaretur, quod tamen euaserat.

Si quis eris olim nostri studiosus, ob idque
Nosse voles vitae fata peracta meae:

Per-

Perlege, quae propere dictaui carmina, quum me
Hydrops Lethaeis iam dare vellet aquis.
Alta iacent ſupra Snenanas rura paludes,
Ianuſci nomen neſcio cuius habent.
Qua noſtri quondam Reges feciſſe ſecundum,
A Gneſna, in Pruſſos, ſaepe feruntur iter.
Haec meus aſſueto genitor verſabat aratro,
Vir bonus, et modicas inter honeſtus opes.
Is dum, peſte graui, natos ſibi luget ademtos,
Quae foede noſtros tunc popularat agros,
Me genitum, medio luctu, ſibi vidit, et orbus
Transegit menſes, non niſi forte decem.
Lux mihi natalis, poſt Idus quarta Nouembres,
Lux Solis, medium dum tenet ille diem:
Annua quo poſuit lugubria tempore noſter
Rex, quorum coniux mortua cauſſa fuit.
Illa, illa, ingenti cunctorum rapta dolore,
Barbara, Trancini ſanguine nata lupi.
Deuoueor ſtudiis, vixdum quinquennis, honeſtis,
Muſarum et primas collocor ante fores.
Nempe pater, quia me nimis indulgenter habebat,
Viuere me durum noluit inter opus:
Ne tenera informi manus atteretur aratro,
Neue aeſtas molles vreret igne genas.
Vt didici, a rudibus, puerilia prima, magiſtris,
Ciuibus hoc vnum debeo, Snena, tuis;
Gymnaſium petii, nuper Lubrancus amoeni
Ad Vartae vitreas quod fabricarat aquas,

Hic quemdam inuenio, magna cum laude, docentem,
Quidquid habet Latium, Graecia quidquid habet:
Qui noſtri curam laetus ſuſcepit agelli,
Illum ſincera percoluitque fide.
Tum primum nomen magni immortale Maronis
Audiui, et nomen, Naſo beate, tuum.
Audiui, colere incepi, dixique, Poëtis,
Poſt Diuos, terras maius habere nihil.
Mox quas non lacrimas, quae non ego vota, precesque,
Phoebo, cui vatum maxima cura, dedi?
Ne ſibi me famulum dedignaretur inertem,
Inque ſuo minimum vellet habere choro.
Annuit, acceſſi, plectrum, citharamque, recepi,
Porrexit dextra quam Deus ipſe manu.
Tractaui ſumtam aſſiduus, cupidusque: ſine illa
Nulla fuit, memini, nox mihi, nulla dies.
Nec me poenituit coepti, piguitque, laboris:
Profeci aetatis pro ratione meae.
Carmina quum pleno recitaui prima theatro,
Addideram menſes, ad tria luſtra, nouem.
Lubrancum cecini, cui me debere videbam
Primitias partus iure dicare mei.
Et placui vulgo, non quod placuiſſe merebar,
Spes bona, de puero, cauſſa fauoris erat.
Ex illo, princeps, aequales inter, haberi
Coepi, et doctori carior eſſe meo.
Hinc deguſtatae laudis rapiebar amore
Hoc magis, et natus laudis amator eram.

Inque

Inque dies, maiora animo amplectebar, et omne
Tentabam, per quod gloria tendit, iter.
Obſtitit, in gradibus mediis, mihi triſtis egeſtas,
Nec paſſa eſt noſtros altius ire pedes.
Nam pater, exhauſtus, ſumtus ſe poſſe negabat
Vlterius ſtudiis ſuppeditare meis.
Cogerer ergo ipſis quum iam valedicere Muſis,
Conſuluit dubio ſors inopina mihi.
Praeſul erat Critius, Phoebo vir amicus, in iſto
Orbe, per illa alius tempora ſi quis erat.
Hic geniale ſuam limen mihi pandit in aulam,
Pollicitus Muſis omnia laeta meis.
Et fortaſſe fides ſua verba ſequuta fuiſſet:
Mors illum rapuit ſed properata mihi.
Funera poſt Critii, numero me Cmita ſuorum
Addit, et amiſſi damna rependit heri.
Meque iubet cupidum, non parcens ſumtibus vllis,
In Latium, poſita protinus ire mora.
Voti compos, eo ingenuas mercator ad artes,
Et fieri Euganeae Palladis hoſpes amo.
Inuidit fortuna mihi, morboque grauatum,
Compulit ad patrios me remeare focos.
Quam volui citius, citius quam Cmita volebat,
Sed res, ſub fatis, votaque noſtra, iacent.
Ergo domi moriar, quod nobis molliter vnum
Ceſſit, in externa nec tumulabor humo.
At tu, qui rapto grauius moerebis amico,
Siue Cromerus eris, ſiue Rotundus eris,

 Haec

Haec mihi, ſi quod erit ſaxum, quo forte tegemur,
 Grandibus, in ſaxo, carmina caede notis:
Spe vacuus, vacuusque metu, cubo, mole ſub iſta,
 Et vere viuo: mortua vita, vale!
Haec ſat erant: ad te, noſtri ſtudioſe, reuertor,
 Vt, de vita, habeas omnia nota, mea.
Inualidum mihi corpus erat, viresque puſillae,
 Frangeret exiguus quasque repente labor.
Forma decora ſatis, vultus non triſtis, in ore
 Non dubia ingenui ſigna pudoris erant.
Linguae vſus facilis, vox clara, coloris imago
 Candida, et ad iuſtum facta ſtatura modum.
Impatiens animus contemni, et pronus ad iram,
 Durauit multos quae mihi ſaepe dies.
Geſſi inimicitias non diſſimulanter apertas:
 Nunquam illis cauſſam, materiamque, dedi.
Iudicio lectos, colui conſtanter amicos:
 Hos tantum veras credere, doctus, opes.
Si reditus nobis amplos fortuna dediſſet,
 Me, puto, ſplendidior nemo futurus erat,
Munificusque magis: laudare hinc illa ſolebam
 Romani vere regia verba Ducis:
Nil hodie dedimus cuiquam, prodegimus ergo
 Iſtam, quod pudeat, perdidimusque, diem.
Cor ſubitum ad lacrimas, miſereri molle, gerebam,
 Sed quale, in pauido pectore, ceruus habet.
Hinc habui inuiſum teli genus omne, grauisque
 Pallados, in bellum dum ruit, hoſtis eram.

Mundi-

Munditiem, cura muliebri, prorſus amaui.
Ad vitium, in cultu, veſtibus, atque cibis.
Vnguibus a teneris, mihi, bis decimum vsque ſub annum,
Cruda extinguebat, nil niſi lympha, ſitim.
Vnde malum iecori, credo, arceſſiuimus, et nunc
Illa vetus vitam ſtrangulat vnda meam.
In Venerem effuſum male me plerique meorum,
Decepti externis, aſſeruere, notis:
Vel quia me citharae, cantusque ſalesque, iuuabant;
Vel quia, paene puer, ſcriptor amoris eram.
Leucorhode ſiquidem primum, meliorque priore,
Alpheſiboea elegis cura fuere meis.
Quo labor ille abiit, ſi forte requiris? in ignem:
Multa alia ingenii ſunt vbi ſigna mei.
Digna breui vitae modulo, vt quodcunque iuventae
Ambitio ſtolidae praecipitauit opus.
Nunc quum quinta meos aetatis Olympias actae
Ad maiora animos tolleret, ecce! vocor.
Et pereo, ante diem: nec iam mea patria poſſum,
Qualibus optaui, te celebrare modis:
Et populi vetera acta tui, Regumque tuorum,
Et de temporibus non reticenda meis:
Auguſti inprimis thalamos, quos deſtinat illi,
Cum Ferdinando, Rege, paratque pater.
Hoc alii, poſt me, poterunt tamen: ipſe quod vnum
Nunc poſſum, vt vincas, vt valeasque, precor.
Vos quoque, Ianitii memores, valeatis amici,
Ire meum cuncti iamque paretis iter.

Anto-

Antonine vale, vale Antonine, tuumque,
Te saluo, saluum floreat omne genus.
Heu mihi! nulla vnquam quod iam tibi parte probabo,
Quae mens, erga te, sit mea, quantus amor?
Nec potero viuis testari, id namque volebam,
Sanandi fuerit quae tibi cura mei.
Quod licet, ad Manes quum venero, meque, piorum
In numerum, accipient agmina laeta suum,
Te loquar; et, si quae me forte rogauerit vmbra,
Corporis adspiciens ad simulacra mei,
Qui tam corrupto splenis, iecorisque, vigore,
Tamque venenatis membra repletus aquis,
Protraxi vitam vlterius, quam ferre soleret
Istius rabies exitiosa mali?
Esse, homines inter, medicum, narrabo, potentem,
Quod potuit Lycii filius ante Dei.
Ille tamen semel Hippolytum reuocauit ab Orco,
Me tumulo toties extulit iste meo.
Imperiumque diu Parcarum elusit, et iras,
Distulit in longam nostraque fata diem.
Nam mihi quod nequiit primam instaurare salutem,
Est factum, inuicti conditione mali.
Morborum vincunt homines genus illud, et illud,
Hydropis victor quis, nisi Christus, erat?
Montanus certe, simul et Cassanus, vterque
Maximus, Euganei lumen vterque soli,
Non potuere huius restringere virus Echidnae,
Tunc tamen exoriens illa, recensque, fuit.

Inrasit

Inuaſit ſero monſtrum Antoninus adultum,
Cum victore auidas conſeruitque manus.
Viciſſetque ſui, puto, ſedulitate laboris,
Humanae ſed enim non erat illud opis.
Adde, quod eſſe meo generi fatale videtur
Sic cadere, interiit ſic pater ante mihi.
Nil igitur mirum, ſi, inter tot tela, tot hoſtes,
Et tantos, medicae ſuccubuere manus.
Haec, et plura, loquar de te, mea Vita, quid autem
Te potius, quam quod das mihi ſaepe, vocem?
Ipſe etiam praeſens olim, quum veneris illo
Annoſus, propriis auribus iſta bibes.
Nam venies ad nos: venient, quoscunque relinquo:
Hic nulli aeternam fata dedere domum.

ELEGIA VIII.

Ad D. IOANNEM ANTONINVM, *inſignem Medicum, Budae, a Turcis occupatae, querela.*

A*ntonine*, doles, fractam quod Turca ſubegit
Pannoniam, miſero ſuppoſuitque iugo.
Scilicet id debes patriae: niſi, matris ad atrum,
Non debet natus flere, querique, rogum.
Ergo parenti animum grati teſtaris alumni,
Qua potes: haud alia nam ratione potes.
At poſſent Reges: poſſent, niſi mutua mallent
Bella, domi, inſana continuare manu:
Depoſitiſque odiis, quibus exarſere, cruorem
Alter in alterius aggrederentur opus.

Vnum

Vnum opus in Turcas, Chriſti pro nomine, pro quo
Debeat et decies nemo timere mori.
Vt per quod vitam capimus, capimusque ſalutem,
Et quidquid veri, perpetuique, boni eſt.
Per quod victores erimus, concordia ſi nos
Reſpicit, et pacis verior afflat amor.
Creditis? an nihil haec ad vos? contemnitis ipſum,
Qui pacem nobis datque, iubetque, Deum?
Si ratio Superum nulla eſt, etiamne feretis,
Vt veſtrae vobis eripiantur opes?
Et nudo Reges viuetis nomine? verus,
Regibus oppreſſis, Rex Solimannus erit?
Intercepta Aſiae querimur tot regna, tot vrbes,
Veſtra Europa omnis, Lybs quoque veſter erat.
Nunc bona pars vtriusque ſoli ſubiecta Getarum
Seruis: Turca ſuum nam trahit inde genus.
Non loquar ereptam Rhodon, altaque Conſtantini
Moenia, mille vrbes, mille periſſe duces.
Sunt antiqua nimis vobis haec vulnera, et omnis
Sedatus longa eſt iam dolor iſte die.
Buda recens cecidit, cuius percuſſa ruinis
Hoſti tota dedit Pannonis ora manus.
Buda, vetuſtorum pulcerrima regia Regum,
Clara, potens opibus, clara, potensque viris.
Illa triumphantem qua primum luce tyrannum
Accepit muris moeſta, gemenſque, ſuis;
Sicut erat laniata genas, laniata capillos,
Ad ripas Iſter dicitur iſſe tuas:

Atque

Atque ibi flebilibus coelum impleuisse querelis,
Et singultatis exululasse sonis.
Ister! o Ister! aquae Rex magne ingentis, o Ister!
Qui septemgeminas, in mare, voluis aquas.
Ecquid ad has oculos lacrimas conuertis? et vnam,
Quae superest miserae, porrigis ecquid opem?
Accipe me: nec sis aliis immitior vndis;
Saepe amnes miseris consuluisse ferunt.
Dum consanguineum Numitoris nata tyrannum
Vitat, in Etrusco flumine facta Dea est.
Phoenissam Aeneae fugientem tecta, Numici
Numen in Ausonias molle recepit aquas.
Supplicis anne et tu lacrimas excludis, et illis
Subscribis, qui spem destituere meam?
Heu! nimium verum est: quo sors se vertit, eodem
Et fauor: exemplis hoc ego disco meis.
An potius proprio confectus et ipse dolore,
Supremam sociae ferre grauaris opem?
Sic puto, et ignosco: vires quoque duplicat, in me,
Moeror, et, vt doleam, condoleamque, facit:
Quum video faciem, non quae fuit ante, nouamque
Cum fractis frontem cornibus, esse tibi.
Plena cadaueribus trahis, ecce! fluenta tuorum,
Et patrio infectas sanguine ducis aquas:
Insuetisque caput captiuum pontibus infers,
Seruus, ab hostili comprimerisque rate.
Nunc, Coruine, tuum, nunc o! disrumpe sepulcrum,
Surge, tuos vindex assere, surge, veni!

Namque

Namque ego, quid refert, viuos, an morte peremtos,
Implorem? ſurda eſt vtraque turba mihi.
Carolus, et Gallus, Veneti, magnusque Sacerdos,
Eſt, quod agant: propior quilibet eſto ſibi.
Res Ferdinandum, ſimul et fortuna, moratur,
Heu! quoties damno concidit ille meo.
Perdidit innumeras, me propter, ſaepe phalanges,
Teſtis id vna recens eſſe ruina poteſt.
Dum vult eſſe ſuam, Turcae me tradit habendam,
Aſſertor, ſaluam dum cupit eſſe, necat.
Sic ferus ille mea victor ſedet altus in aula,
Et populos redigit, ſub ſua iura, meos.
Regia poſſeſſa coniux extruditur arce,
Et Tranſyluanum iam parat exul iter.
Vagit, vt aerumnas ſi iam miſerabilis infans
Sentiat, et flendi neſcit habere modum.
Infelix infans, regno ſpoliate paterno,
In cuius an adhuc incipis eſſe miſer?
Tam cito noſſe fugam, tot noſſe pericla viarum
Cogeris, et domini iuſſa ſuperba ſequi,
Et natale ſolum, dulcesque relinquere terras,
Quasque patris nato cura pararat opes.
Nec tamen iſta tibi ſit tantum iniuria: ab vrbe,
Me miſeram! eiicitur Chriſtus et ipſe tua.
Templa exultanti Mahometo, arasque, reſignat,
Et rapitur poenae rurſus in omne genus.
Quaeque olim ſubiit Solimaei militis, illa
Et Solimannaei nunc quoque probra ſubit.

Chriſti-

Chriſtiparae ſtabulant in virginis aede profani,
Illic obſcoeni praetereuntque nihil.
Et faciunt, Diuum delubra per omnia, quae non
Vllius poſſit lingua pudica loqui.
Haec vos adſpicitis, Superi? Et tamen eſſe dolori,
Aut curae, vobis inferiora putem?
Plura volebat adhuc: lacrimae rupere querelam,
Atque aegram ſanguis, deſtituitque vigor.
Concidit exanimis, moribundaque membra per herbam
Fudit, et inuiſam pectore planxit humum.
Vt Niobe quondam, quum tot ſua pignora vidit
Ortygii telis occubuiſſe Dei.
Non tamen obriguit ſaxo quoque Buda, ſed iſta,
Si tunc vidiſſet, quae modo multa videt:
Quique hodie dolor eſt, tunc acceſſiſſet ad illum,
Visque foret iuncti congeminata mali:
In Niobes etiam ſaxum tranſiſſet, et ortis
De lacrima, Sypili more, ſcateret aquis.
Nam quantum eſt, Turcae aſſidue noua ſigna videre
Submitti, et turmas creſcere, ab hoſte, nouas?
Quae vigilent, et agant, defectio ne qua tumultum
Excitet, et tollat Buda rebelle caput.
Miſſa et aratorum bis ſeptem millia, certum eſt,
In quos Pannonici diſtribuuntur agri.
Indigenae cedunt, noto de rure, coloni,
Hoſtilem extorres inque trahuntur humum.
Vt Ligures quondam, Bebii quos aſpera in agros
Samnitum a patriis tranſtulit ira iugis.

Mitior at quanto Turca, Romane, fuiſti:
Tanto ſors Ligurum mitior illa fuit.
Adſpicerent vtinam, quam, quum potuere, negarunt
Fulcire, Hungariae quae ſit imago, Duces!
Ducitur infelix, grauibus conſtricta catenis,
Amplius ad proprios non reditura Lares.
Squallida, turpis, inops, laceris miſeranda capillis,
Deiiciens pauidum, ſanguinolenta, caput.
Non redimit morbus captos, non ſexus, et aetas,
Hoſtis inexpleto cuncta furore metit.
Ille vocat fruſtra natum, fruſtra ille parentem,
Implorat fruſtra vincta puella virum.
Matris in vberibus, iugulantur pignora: nullus
Eſt vacuus gemitu, ſtrage, cruore, locus.
Tecta cremata ruunt, et opes, ſudorque coloni,
Quadrupedum rapitur, quod datur, omne genus.
Ne morer: illa diu felix, tota aurea tellus,
Nunc tota in vinclis, caedibus, igne, iacet.
Paſcere crudelis noſtro, Solimanne, cruore:
Paſcere, amata tuae pocula funde ſiti.
Vota tenes: populos, Chriſti de fonte lauatos,
Sub pedibus, bello quos adoriris, habes.
Terra tuis longe lateque eſt plena trophaeis,
Teque horrent gemino ſubdita regna polo.
Nos contra, grex, Chriſte, tuus, vere eſſe probamur
Grex tuus: ecce! tuam tollimus, ecce! crucem.
Plectimur, opprimimur, nos cuncta aduerſa fatigant:
Magna ſumus diris vndique praeda lupis.

Algerico

Algerico Caesar, Maurorum in littore, classem
 Perdidit, irati vi maris, atque Noti.
Ipsa, in nos, elementa ruunt, proque hoste laborant,
 Non est, expediant cur sua tela Getae.
Condite tela Getae, non consertaque triumphum,
 De nobis, partum concelebrate manu.
Et nostras nudi clades spectate: videmus,
 Pro vobis, tacitos bella mouere Deos.
Vt faueat nobis tellus, faueatis et vndae,
 Aeris, heu! victi pestilitate sumus.
Scilicet haec ventura Deus praedixit in illos,
 Quos voluit testes nominis esse sui.
Certe ego dum mecum haec considero tempora, mundi
 Suspicor extremum non procul esse diem.
Hoc sol, hoc luna, hoc stellae, per signa, loquuntur,
 Regnorum interitus, praelia, monstra, fames.
Felices! istis rapuit quos Parca diebus,
 Et celeri, ad Superos, iussit abire fuga.
Me quoque felicem, si me vult forsitan illos
 Ante Deus, veniant quam grauiora, sequi!

ELEGIA IX.

Apud SEVERINVM BONERVM, HIERONYMI LASCI, *Viri illustris*, *mortem deflet*.

Nemo, *Bonere*, quidem verae virtutis amator,
 Qui lacrimas posset continuisse, fuit.

Quum periit Lascus: vir, quem temeraria nunquam
  Debuit audaci tangere Parca manu.
Tu tamen ingenti fereris doluisse dolore,
  Ante alios, et ad hanc vsque dolere diem.
Vnde liquet, regni quae sit tibi cura Poloni,
  Et quantum patriae te pius vrat amor.
Namque doles, non quod cecidit, qui, lege creatus
  Mortali, mortis praeda futurus erat.
Tempore sed quod in hoc, et tanto turbine rerum,
  A nostris longum finibus iuit iter.
Quum, plures etiam Lascos optare pauenti
  Posse dari patriae, forsan habemus opus.
Non, quod ego ignorem, magnos superesse Polonis,
  Laudatosque omni viuere parte, viros.
Viuunt, et viuant, mittant sua, publica curent;
  Iustitiam vnanimes, cum pietate, colant!
Non tamen inuenias multos, quos protinus illi
  Exaeques recte: vel meus errat amor.
Certe si bellique artes, pacisque beatae,
  Cognouisse viri principis esse damus:
Quis poterit Lasco fingi laudatior? aut quis
  Iustius, a cunctis, suspiciendus erit?
Quum duo Pannoniam, per mutua praelia, Reges
  Appeterent cladem post, Lodouice, tuam;
Vnus hic infestas acies, et signa diremit
  Impia, consilii dexteritate sui.
Restituit rebus pacem, regnare quietum
  Fecit Ioannem, qui modo pulsus erat;

Sarmati-

Sarmaticis et inops exul latitabat in oris:
Caesaris Hungaricas frater habebat opes.
Dixerit hic aquilis: Turcarum ope et ense peregit
Haec, quae tunc, per eum, commoda facta refers.
Non quaero, per quem bene fecerit: illud in illo,
Illud ego tantum, quod benefecit, amo.
Me si quis dira curet, sanetque, cicuta
Aegrotum, primae detque salutis iter:
Non minor eius erit meriti mihi gratia, quam si
Et quauis alia me repararit ope.
Confugere ad saeui Pelidae maluit hastam
Telephus, in longos quam miser esse dies.
Confugere ad Christi noster quoque maluit hostem,
Atque ista paci consuluisse via:
Quam, sine fine vllo, ciuilia bella videre,
Fraterni et madidas sanguinis imbre manus.
Atque, vtinam! non tanta animis innata cupido
Regnandi, paci res inimica, foret:
Pactaque seruarent, seruarent foedera Reges,
Et scirent iuris cedere parte sui.
Et constare sibi nosset leuis Hunnus, et vni
Praestare, explosa seditione, fidem.
Pax hodie, pax Hungariam, non Turca, teneret,
Nullo Ister gemeret cornua pressa iugo.
Dissidii quod sit finis seruire, videtis
Pannones, in proprium natio promta malum.
Vester vos gladius, dissensio vestra, peremit;
Caussa mali falso creditur esse Deus.

Quamuis ipſe etiam, quum vos in fata videret
Currere praecipites vltima, iuuit opus:
Subſcripſit, molemque ſua grauitate ruentem
Impulit, et certe noluit ille diu.
Eripuit vobis, per quos ſperare ſalutem,
Sperare egregiam nunc potuiſtis opem.
Occidit Regem: quis cetera membra valere
Poſſe putet, videat quum periiſſe caput?
Occidit Laſcum, qui veſtris ancora rebus,
Difficili toties tempore, ſacra fuit:
Quem timuit, multae quod conſuetudinis vſu
Cognorat vario tam bene Turca virum.
Nam ſi non timuit, cur toxica miſcuit illi,
Maturamque illum ſuſtulit ante diem?
Nota viri virtus, prudentia nota tyranno,
Enſis et, adſuetus vincere, notus erat.
Conſiliique vigor ſubiti, pectusque pericli
Deſpiciens faciem, deſpiciensque metum.
Ille per adverſas colluſtrans cuncta cohortes,
Tuto ſaepe iniit hoſtica caſtra pede.
Callidus, inducta Protei quacunque figura,
Excubias media fallere ſaepe die.
Parcius hinc Ithacum miror, quod Thracia quondam
Nocturno eſt auſus tangere caſtra dolo:
Arceque de Phrygia, ſignum fatale Mineruae
Suſtulit, in clauſi ventreque ſedit equi.
Cognitus et nulli, propria eſt verſatus in aula,
Penelopes oculos ante procosque ſuae.

Europae

Europae populi! quos vrget Turca, dolete,
 Indigna Lasci morte dolete mei.
Vnicus in Turcas dux hic erat: vnus, in illos,
 Inprimis belli nouerat iste viam.
Et tamen in medio concurrite ad arma dolore,
 Vltores tanti vos decet esse viri.
Vltoresque simul vestri: rapite arma frequentes!
 Per quem possitis vincere, fata dabunt.
Ah! pudeat seruire hosti, qui fraude, venenis,
 Insidiis, vulpes, non leo, bella gerit.
Non iis Romanus magnum virtutibus orbem
 Fregerat, imperio subdideratque suo.
Turca quibus pugnat, Romanus, toxica, dixit,
 Pyrrhe, caue medici perfidiamque tui.
Illud erat virtus, illud victoria, forti
 Vt superare manu, sic superare fide.
Ergo minus miserum, dominos habuisse Quirites,
 Et ceruice iugum nobile ferre, fuit?
Europae populi! quos vrget Turca, dolete,
 Indigna Lasci morte dolete mei.
Ferdinande dole! vero es priuatus Achate,
 Vix vnquam qui te sic amet, alter erit.
Te propter periit: vitae contemsit amorem,
 Consultum rebus dum cupit esse tuis.
Te propter periit, summum legatus ad hostem:
 Si saperes, hostis debuit ire tuus,
Lascus et interea, Budae sub moenibus altae,
 Se, pro te, aduersis opposuisse Getis.

Viciſſes: tua Buda, tuum diadema fuiſſet,
Clade tua partum quod Solimannus habet.
Sanguine Danubius nunquam fluxiſſet amico:
Sanguine fluxiſſet, perfide Turca, tuo.
Pannonia inſignem caneret nunc laeta triumphum,
Victorique daret debita tura Deo.
Delectuque nouo victis, quem fata ſecundent,
Contra victorem nunc nihil eſſet opus.
Europae populi, quos vrget Turca, dolete,
Indigna Laſci morte dolete mei!
Te tamen, haec tecum reputas ſi tempora, debet
Acrior, in lacrimas, patria ferre dolor.
Flos tibi Viſtuleo pulcerrimus vnus in horto
Aruit, in miſero procubuitque luto.
At voluit ſoli reliquum tibi viuere vitae,
Tempus et omne tuis inuigilare bonis.
Quamuis externis Regum et quod vixit in aulis,
Contulit ad famam gentis id omne tuae.
Namque a laudato quam multum laudis alumno
Comparet ipſa ſibi patria, ſcire potes.
Iam quod non paucis defendit Pannonas annis,
Geſſit et illius plurima bella loci:
Et tenuit Turcam, ne, quod iam cepit, haberet,
Hoc quoque nonne tuis vtile rebus erat?
Commoda Pannoniae ſunt commoda veſtra, Poloni,
Sarmata communi fertur et illa rate.
Dum fuit incolumis, vallum fuit illa Poloni,
Vallum Teutonici nec minus vna ſoli.

Vt

Vt cecidit, quae non et nos ventura timemus?
Sed tacet augurii lingua timore mali.
Lingua tacet, mens, neſcio, quid resque ipſa minatur;
O! meus in ventos hic timor omnis eat.
Nunc tamen, o! vellem noſtri pars, Laſce, Senatus,
Nunc ſi quando alias, conſiliique fores.
Vellem, ſed fruſtra eſt: nam quae te vota ſepulcri
Faucibus eripient, eripientque preces:
Si non eripuit tua te prudentia, ſi non
Tot dotes, longum eſt quot numerare mihi?
Quamuis ipſe etiam, vel ſi mea vota valerent,
Et rediuiua daret nunc tibi membra Deus.
Ipſe, inquam, nolles, ad nos, fortaſſe reuerti,
Rumpere et aeternae molle quietis iter.
Viue Deo, quia non potuiſti viuere nobis,
Optabat donec patria, donec ego.
At tu, Liligerae, vir, gloria ſtirpis, ad omnem
Sarmatiae laudem nate, et ad omne decus!
Pone viro tumulum, vanas et mitte querelas:
Invicta fati eſt ianua clauſa ſera.
Pone viro tumulum: hac vna officioſus in illum
Eſſe, nec vlla alia iam pietate, potes.
Officium quod poſſum, et ego praeſtabo, ſepulcro
Inſcribam magnis haec duo verba notis:
Sarmaticus iacet hic, Laſcae lux gentis, Vlyſſes,
Maior Vlyſſe etiam, ſi quis Homerus erit.

ELEGIA X.

Ad RAPHAELEM VARGAVIVM, *iter, in patriam, adornantem.*

Ibis iter longum, mihi taedia longa relinques,
  Vt patriae videas dulcia rura tuae.
Vargaui, qui non, vt ſum tibi coeptus amari,
  Deſinis officiis me cumulare tuis.
Ibis, ego interea Superos in vota vocabo,
  Vt cito te reuehant, reſtituantque mihi.
Nam, ſine te, quid in hac, quo recreer, vrbe videbo?
  Quidue tuus Clemens, quo capiatur, erit?
Eſt, fateor, locus hic, qui delectare vel ipſo
  Adſpectu quemuis et recreare queat.
Eſt populus, quem iure probes; eſt copia rerum;
  Sunt fora; ſunt magni plurima templa Dei.
Fama recens ſemper, variis a partibus orbis,
  Hac et longinquum qui facit hoſpes iter.
Incumbunt vrbi colles, turresque Vaueli,
  Vicina mugit Viſtula raucus aqua.
Iamque dies nitidi, mundique iuuenta redibit,
  Verque ſuas, ad nos, iam reuocabit opes.
Omnia ridebunt; volucrum mulcebitur aër
  Cantibus, omnis ager, lucus, et omne nemus.
Gaudebunt ſed enim iis alii, quicunque fruentur
  Non ego, quem, toto tempore, lectus habet.

Totque

Totque voluptates, bona tot communia, ne quid
  Pertineant ad me, perueniantque, facit.
Ergo mihi ſoli ſunt oblectamen amici,
  Et fallunt noſtri taedia longa mali.
Viſunt: ſolantur: diſturbant nubila mentis:
  Vtque animum foueam ſpe meliore, iubent.
In quibus ipſe vnus quum ſis, et primus in iſto
  Ordine, diſceſſu moereo iure tuo.
Crede, tua teneor ſic conſuetudine, et imum
  Cor mihi tam magno flagrat amore tui,
Vt malim tecum in terris, vbi nulla voluptas
  Sincera eſt, longas continuare moras:
Quam, ſine te, in coelo, fieri conuiua Deorum,
  Permittatur, ab iis, optio ſi qua mihi.
O! ego nunc aliquas vires, et corpus, haberem,
  Quod patiens pluuiae ſit, patiensque Noti!
Non hoc ſolus iter faceres, comes ipſe venirem,
  Et fierem currus ſarcina prima tui.
Arua ſalutarem tua laetus, et arua viderem,
  Quae te delicias progenuere meas.
Tu quoque, ſi velles, poſſes mea rura videre,
  Non procul, a veſtra, nam mea diſtat humus.
Dulcis humus, quae iam ſeptem non vidit ab annis
  Ianitii, multum quo tumet, ora ſui.
Quum tamen hoc vnum inprimis ſuſpiret, et optet,
  Hoc vnum Superos, nocte, dieque, roget.
Tempus erit, veniam: parui gaudete Penates!
  Qua veſtra intrabo limina, tempus erit.

Et matrem ſeruate mihi, fratremque: doloris,
Quod pater interiit, ſit mihi, quaeſo, ſatis.
Interiit, nec me reducem conſpexit ab orbe
Auſonio, in votis quod ſibi ſemper erat.
Sed quam difficiles, Parcae, illi in vota fuiſtis,
In mea tam faciles nunc, precor, eſte mihi.
Accelerate diem, qua ſoluam iuſta ſepulcro
Illius, et, tali carmine, buſta notem:
Hic tegor, agricola obſcurus, ſed laude poëtae,
Quem genui, per tot compita clarus eo.
Sed reflecto viam, de qua deduxerat ingens
Et patriae, et cari me genitoris amor.
Inuideo tibi, *Vargaui* generoſe, quod agros
Adſpicies patrios, adſpiciesque Larem.
Inuideo, ſimul opto tamen, praecedat euntem,
Omine felici, candida ſemper auis.
Iucundi ſpirent Zephyri, quacunque fereris:
Deiiciat nullas nubilus Auſter aquas.
Sed precor inprimis, aptet tibi Daedalus alas,
In quibus effugit Gnoſia tecta, ſuas;
Vt citius venias, quo tendis, et inde recurras,
Hanc quoque praeſtituis quam mihi, et ante diem.

TRISTIVM FINIS.

VARIA-

VARIARVM ELEGIARVM LIBER.

ELEGIA I.

Ad ANDREAM CRICIVM, *Gnesnensem Archi-Episcopum, quum primum illum vidit, et est allocutus.*

Non adeo fuit vlla dies mihi clara, sub illo
Tempore, Phrixea quo tepet axis oue;
Atque dies hodierna: dedit quae prima sacratam,
Antistes, faciem, Summe, videre tuam.
Prima mihi caput hoc, mitra rutilante grauatum,
Inspectare, loco de propiore, dedit.
Sarmaticaque virum mirari in gente supremum,
Quae viguit, lapso tempore, quaeque viget.
Siue prius spectes nulli vlla laude secundum,
Et gemina magnum nobilitate genus:
Seu numeres, dignas tam claró sanguine, dotes;
Si modo, quae dico, quis numerare potest?
Incipies, medio incipies haerere salebrae,
Et dabis immenso vela trahenda mari.
Hinc trahit excelsum diuini culmen honoris,
Lachiadasque inter gloria prima viros.
Hinc rapit egregiae melior praestantia mentis,
Permanet in tantis quae moderata bonis.
Quam fortuna loco licet ampla mouere laboret,
Hic tamen imperium perdidit omne suum.

Rarus

Rarus at eſt animus, quem non fregere ſecunda,
Quique tulit faciles, in ſtatione, Notos.
Magnus Alexander reges vt vicit Eoos,
Se patre cornigero credidit eſſe, Ioue.
Amplius et nullum voluit meminiſſe Philippi,
Cauſſa necis miſero quae fuit vna Clyto.
Viribus et quorum famulum ſibi fecerat orbem,
Ante ſuos iuſſit procubuiſſe pedes.
Sic quoque progenies voluit Iouis eſſe Clearchus,
Inflatus ſortis proſperitate ſuae:
Indiciumque, aquilam, generis, fictique parentis,
Greſſibus edocuit praeuolitare ſuis.
Nec contentus eo, natum vocat ille Ceraunon,
Se ratus in falſa fulmen habere manu.
Vt taceam Brennum, tumidus victricibus armis,
Mouit in intonſum qui fera bella Deum.
Vt taceam innumeros, qui, commodioribus Euris,
Excutiunt animi frena priora ſui.
Millibus es de tot, Praeſul digniſſime, ſolus,
Qui neſcis validae ſuccubuiſſe Deae.
Illa, aliis quae iura dabat, tua iura ſubiuit,
Subdidit et forti colla coacta iugo.
Colla coacta iugo premitur, nec forſitan unquam
Extrahet, ingenio praeualitura tuo.
Namque datur nobis modo diuinare facultas,
Quod creſcat, reliquo tempore qualis eris.
Qui merito quum ſis cunctis praelatus honore,
Non laxas ſoliti vincula firma modi.

Non

Non abiit prior illa a te clementia, solo,
Hoc sed enim nostri, principe digna viro.
Non abiit animus iustae placabilis irae,
Quam memorant toties non tenuisse Iouem.
Nam quid ego referam coelestibus ore superbum
Ignibus Euadnes interiisse virum?
QuidBriareum,Rhoetumque? quidOromedonta? quid illum,
Cuius, Trinacrio sulphure, membra natant?
Quid sobolem Hippotadae, fugientia saxa sequentem?
Audacis fallax Iapetique genus?
Ergo si vitium est, commune tibique, Iouique est,
Ira, sed est animi lenior ira tui.
Restituit nullum, quem perdidit ille per iram,
Punitos placida nec releuauit ope.
Si qua tua est, propriis illam constringis habenis,
Mensuraeque vetas transiliisse gradum.
Corrigis admonitu si quis sacra laesit honesti,
Nec iacis in supplex fulmina iusta caput.
Quamlibet offensus vindictae spernis amorem,
Solus in affectus imperiose tuos.
Scilicet Herculeos hoc est vicisse leones,
Et domuisse tuas, torua Chimaera, iubas.
Hoc est, Gorgoneas rescindere falce Cerastas:
Hoc est, Minoi rumpere colla bouis.
Adde, quod vsque, in te, quemuis, procliue, morari,
Alloquium, et facies illa serena manet.
Est tamen et vultus, quum res iubet ipsa, seuerus;
Os maiestati conueniensque suae.

Non

Non in te pietas antiqua, fidesque, refrixit,
Feruidaque aeterno cura placere patri.
Non labor ille pius, sectarum vrgente tumultu,
Sepibus horribiles exagitare lupos.
Non studium, patriam totis per cuncta iuuandi
Viribus, innumeris et cumulare bonis:
Postque Sigismundum, Superosque (iis cuncta, sed et te,
Debemus,) nostrae vela tenere ratis.
O! igitur, bello fortes, gaudete, Poloni!
Surgit ab hoc vno gloria vestra viro.
Vos quoque Sarmatici veteres gaudete triumphi!
Principe ab hoc, vestri fama perennis erit.
Seu numeris dicet patrum pia gesta, manebunt,
In patriaeque sinu florida semper erunt.
Et viuent nobis, Graecis dum viuet Homerus,
Romanis vates, Mantua magna, tuus.
Seu numeris orbam facundo mouerit orbe
Historiam, plenos exiget illa dies.
Aut prius Herodoti felicia scripta peribunt,
Clara Patauini vel monumenta viri.
O! igitur, bello fortes, gaudete Poloni!
Surgit, ab hoc vno, gloria vestra viro.
Hactenus Ausoniae concessimus, hactenus illis,
Quos medius liquidis, Rhene, refringis aquis.
Tolle, Polone, caput! Satis est iacuisse malignis
Hactenus in tenebris: tolle, Polone, caput!
Bello clarus eras tantum, studiumque Gradiui,
Inter vicinos, laus tua tota fuit.

Iam

Iam nunc, pacificis Musarum ex artibus, amplum
Incipis a *Cricio* nomen habere tuo.
Cuius ab exemplis, condiscit multa iuuentus,
Barbariem patrio pellere posse solo.
Nec tantum exemplis: accenditur illa fauore,
Et patrocinii sedulitate sui.
Sic tibi, per *Cricium*, crescent, qui longa per orbis
Te spatia ingenii, laudeque, uique, ferent.
Nec, de te, temere concepi talia, Praesul
Optime, das horum plurima signa mihi.
Principiis ventura patent, sciuisse putatur
Alcmena infantis facta futura sui.
Quum premeret teneris hydrorum colla lacertis,
Caede patri fluidas porrigeretque manus.
Vt tamen ille suae potuit spes vincere matris:
Omnia non aliter vincere nostra potes.
Quodque facis, vinces, dederis quum plurima semper,
Speque dabis genti commoda plura tuae.
Vos modo, Sauromatae, meriti si debita posco,
Assidua ad Superos iungite vota Deos;
Quo iubeant caput hoc, quod nostrum illuminat orbem
In multos saluum posse manere dies:
Illius et faciant fatalia stamina lentis
Ire colis, saeuae ius reprimantque Deae.
Atque vbi Neleidae longos impleuerit annos,
Laomedontaei tempora siue senis;
Accedat nitido gratissimus hospes Olympo,
Sarmatiaeque piam porrigat inde manum.

ELEGIA II

Natalem CRICII *celebrat, et miram hiemis temperiem, quae, per id tempus, acciderat, describit.*

Lux *Cricii* natalis adest, gaudete Poloni,
Et laeti festum concelebrate diem!
Nunc decet ornatis crines redimire coronis,
Sollemnesque humeris composuisse togas.
Nunc decet aurato torques adpendere collo,
Chrysolitis nitidas irradiare manus.
Quidquid opum latuit, nunc depromatur in vsum:
Quicquid et a rubris India misit aquis.
Cesset opus: cessent iratae iurgia linguae:
Candida pax, niuea cum bonitate, veni!
Turba sacris segetem flammis adolete Sabaeam,
Et quidquid placidi vendit odoris Arabs.
Illa dies haec est felicis conscia partus,
Quae matri *Cricium*, Sarmatiaeque, dedit.
Qua nostris est natus honos, et gloria, rebus,
Praesidium patriae, praesidiumque mihi.
Nescia mens fastus, specimen pietatis, et aequi,
Conspicuus sanctae relligionis apex.
Plus illa veneranda die, qua paruus in antris,
Creta, tuis vidit lumina prima Iouis:
Indigno miseri genitus moerore parentis,
Quem ferus in tristem praecipitauit humum.
Cum quo nata simul violenta superbia terras
Inuasit, variis concomitata malis.

Tunc

Tunc primum caedes, periuria, bella, rapinae,
Sacrilegaeque Deos impetiere manus.
Tunc primum cecinit Titania virgo receptu,
Et dedit ignotae ſaucia terga fugae.
Jpſe Deum dominus ſignum feritatis vt eſſet,
Sumſit in armatam fulmina ſaeua manum.
At ſimul ac nobis *Cricium* pia fata dederunt,
Antiquos referunt tempora noſtra dies.
Ferrea paullatim molleſcunt ſecula in aurum:
Tollit honoratum iam Themis alma caput.
Cardine non ſolito, mutatus vertitur annus,
Iam variat leges tempus, et aura, ſuas.
Ecce benigna ſuum non ſeruat bruma tenorem,
Annoſi ſimilem non meminiſtis aui!
Scribimus haec quamuis, primi ſub menſe Decembris,
Non querimur nobis obriguiſſe manus.
Noſtraque ad hibernum iaceat licet ora Booten,
Eſt nondum ſolita frigida facta niue.
Surgere roſidulis flores miramur in hortis,
Graminis aeſtiuum nec cecidiſſe decus.
Rura ſuas laetantur opes reuirere, nec altam
Vmbriferas ſiluam depoſuiſſe comas:
Herba nouae ſegetis medias oſtendit ariſtas,
Exerit arrectum paeneque ſpica caput.
Paſtor agit ſaturas, per amoena rubeta, capellas,
Et tepidi ſitiens fluminis haurit aquam.
Praeteritique memor ſecum ſic forſitan anni,
Hic fluuius iam nunc lubrica teſta fuit.

I nunc, et Latiam noſtris laudato Polonis
  Temperiem, et nullum, quod timet Almo, gelu.
Talia Sauromatae ſed nec videre priores:
  Sunt certe canis iſta ſtupenda viris.
In noſtros cecidere dies, ſimul atque vocatus
  Gneſnenſes *Cricius* paſcere coepit oues.
O nimium dilecte Deo! tibi deditus aether,
  Te cupiunt omnes demeruiſſe Dei.
Te nix, te glacies, Boreas, te ſigna, planetae,
  Te nimbi, pluuiae, grando, pruina, colit.
Ergo viri, cui cuncta fauent, celebremus honorem,
  Si vir, hic eſt, ſuperat qui pietate Iouem.
Nunc gaudere libet, nunc annua ſacra Lyaeo
  Reddere, nunc placidos multa rogare Deos.
At tu, ſancta dies, *Cricium* comiteris euntem,
  Incolumi coeptae proſperitate viae!
Donec adhuc illi totidem numeraueris annos,
  Tempus ad noc Lacheſis quod numerare dedit.

ELEGIA III.

Autumnum execratur, ob febrem CRICII.

Numquid et heroas terrena aerumna fatigat?
  Et tangunt ipſos noſtra pericla Deos?
Alcides Iunone malum immittente nouerca,
  Eſſe dedit morbo nomina ſacra ſuo.
Iulius, Idaliae ſoboles diuina parentis,
  Dicitur eiusdem iura ſubiſſe mali.

Sed

Sed quid ab externis? propiora exempla dolendam
  In mea quum poſſunt addere verba fidem.
Ecce! iacet *Cricius.* Quid? cetera, lingua, referre
  Non potes? heu! ſtupidus comprimit ora dolor.
Ecce! iacet Cricius, febri correptus acerba,
  Voluit et in miſero feruida membra toro.
Ille ſacer vultus, macie confectus, abiuit,
  Pinguntur ſubita palliditate genae.
Viribus, exutum pectus languore fatiſcit,
  Officiumque artus depoſuere ſuum.
Cor, velut ardentis ſuppreſſum mole Veſuui,
  Aeſtuat, et rapida mobilitate tremit.
Eſte procul, procul eſte, coqui! procul eſte culinae!
  Nil *Cricius* veſtrae nunc opus artis habet.
Deliciis capitur nullis, nec amore ciborum,
  Ieiunam morbo ferre iubente famem.
Omnia ſic vitium linguae faſtidit amarae,
  Triſte eſt, quod primo tempore dulce fuit.
Non tamen aegrotum tua cura, Lyaee, reliquit;
  Nunc ſapor eſt melior, quam fuit ante, tibi.
Vult vetus excludi penitus menſura bibendi:
  Vult reprimi multa maximus ignis aqua.
Omnis, in aegroto, vitae mutata prioris
  Eſt ratio, ſubiti peſtilitate mali.
At tibi, deteſtande parens, Autumne, malorum,
  Peſtiferum cingat nulla corona caput.
Nec tibi pomiferis det ſacra colonus in hortis,
  Colligit in plenos dum noua muſta lacus.

Tu certe celeris pars es crudelior anni:
Tu facis humanum plurima ferre genus.
Te veniente, venit miserum furialis in orbem
Atropos, iratae falce timenda manus.
Tunc Phlegetontaei sub pondere cymba Charontis,
Obruitur Stygiae fessa paludis aqua.
Tunc pecudum, volucrumque lues, tunc magna ferarum
Funera, tunc medias mors quoque lustrat aquas.
Te veniente, graues exhalat terra vapores,
Et damnosa tuos inficit aura dies.
Quid? tua damna malae quod sunt praenuncia brumae?
Te sed hiems longe plus bonitatis habet.
Tu Boream rigida primus producis ab Arcto,
Primus et adstrictas frigore iungis aquas.
Decutis arboribus folium, violente, facisque
Aestiua tenerum laude carere nemus.
O! tibi formosae dicunt mala quanta Napaeae,
Quod rapis ex ipsis florea serta comis!
Dicere quid refert? tibi quae Pomona precatur,
Quum sua, sub nudo stipite, mala legit.
Omnia, te veniente, ruunt, moriuntur, et ipsae,
Heu! super informi fronde siletis, aues.
Cura procul Veneris vobis, cum sole, recessit,
Inque rubis, paruas composuisse domos.
Ipsum etiam, longis nuper qui fluxerat horis,
Ausus es, aestiuum diminuisse diem.
Scilicet ipsa Iouis domini tibi summa potestas
Subiacet, inque tua sunt sua fata manu.

Victa

Victa tibi parent elementa, obtemperat aether,
  Natura, humanum te metuitque genus.
Nam cur non metuat, non deteſtetur, habentem
  Ius adfligendi corpora, iusque necis?
Atque vtinam! ſaltem premeres ignobile vulgus,
  Corriperet nullus publica corda dolor.
Ius ſed in heroas transfers, ſcelerate, ſuperbum,
  Debuit hoc vnum non licuiſſe tibi.
Te propter, luget concuſſa Polonia, morbo,
  Heu! nimium *Cricii* pallida facta ſui.
Te propter, ſolitum mutauit noſtra colorem
  Aula, nec eſt illi, qui fuit ante, decor.
Gaudia, laetitiae, quo nunc abiiſtis? et illae
  Quo Veneres? ludi, pocula, plectra, ioci?
Vndique moeroris facies, luctusque vagantur,
  Omnia ſunt miſeri tempora plena metus.
Non ſecus afflicto natorum turba parente
  Conſternata piam circuit ante domum:
Quam nunc errat iners famulantis moeſta iuuentae
  Nobilitas, domini fracta dolore ſui.
Tune ferox noſtrum poteras temerare decorem?
  Sarmatiae ſummum laedere tune caput?
At mihi cur parcis? *Cricii* mihi trade dolorem,
  Sit domini, noſtra morte, redemta ſalus.
Dum loquor, exundans ſuccendit pectora bilis
  Praeſulis, et ſanctas excoquit atra genas.
Ocius, in morbo multi mora quaeque pericli eſt,
  Zegroui, medicam, qua potes, adfer opem.

Adfer opem, *Cricio* primam nam reddere vitam,
Sarmatiae vitam eſt reſtituiſſe ſuam.
Tempus in omne, tibi ſummum debebit amorem,
Pro Ioue ſeruato, Lachia tota, ſuo.
Et te poſteritas longo mirabitur aeuo,
Carminibus dabitur ſi modo vita meis.
Nunc certe nobis magnus dicere Machaon,
Inferiorque tua laude Melampus erit.

ELEGIA IV.

Obitum STANISLAI CMITAE, *Palatini Belſenſis, deplorat.*

Sic ego nil iſtum, niſi funera, flebo per annum,
Nec niſi pullati carminis auctor ero?
Sic mea, quae fuerat laetis adſueta Camenis,
Muſa, dabit moeſtos, ante ſepulcra, ſonos?
Cur mihi materiam Lacheſis tam ſaepe querelae
Obiicis, in luctus officioſa meos?
Vix bene defleui Cricium, deflere ſed illum
Sufficient vitae tempora nulla meae.
Vulneris accepti nondum mihi clauſa cicatrix
Eſt prior, alterius vulneris, ecce! dolor.
Eripuit patriae *Cmitam* mors atra minorem,
Nondum matura quum foret ille die.
Nondum illi crines aetas adſperſerat albos,
Ruga nec egregias laeſerat vlla genas.
Sed furit aetatem mors importuna per omnem,
Et rapit ad coecas obuia quaeque manus.

Non

Non illam ratio generis, non tangit honorum,
Non et opum, aut quod tu ſis puer, ille ſenex.
Exigit horrendum, quauis de gente, tributum,
Nec quemquam, qua ſit conditione, rogat.
Sic Aquilo folium, quauis a fronde reuulſum,
Deiicit, hibernos nuncius ante dies.
Non platani diſcrimen habet, non praeterit ornos:
Amittit proprias et Iouis arbor opes.
Salua viret ſemper taxus, Stygis arbor amica,
A qua mortiferum toxica nomen habent.
Scilicet interitus citior plerumque bonorum eſt,
Et peragunt longos deteriora dies.
Quot ſcelerum proceres canis albere videmus?
Flagitiisque annos aequiparare ſuis?
Cnita quod omne ſuum factis melioribus aeuum
Tradiderat, Superum tam cito iniuit iter.
Nam quid erat probius? quid erat laudatius illo?
Quid bene poſſeſſas ſanctius inter opes?
Hic eſt, cum paucis, noſtro conſpectus in aeuo,
Qui titulos fumum diceret, atque nihil.
Quos igitur ſumſit, ſumſit compulſus honores,
Et nunquam impoſitum ſponte ſubibat onus.
Non quia deeſſe ſibi vires, ad magna, videret:
Vir, magnae ad quoduis dexteritatis opus.
Sed quia cernebat, quantum eſt Reſpublica numen,
Heu! modo per turpes contemerata manus.
Et quia felices nimium nimiumque vocabat,
In quibus vna animi ſolaque cura ſui eſt.

Quos non exagitat diuerſis vita procellis,
Et qui, quod rectum eſt noſcere, tempus habent.
Nec datur hoc illis, quos publica functio rerum,
Et trahit in varias ſollicitudo vices.
Ergo ſequebatur tranquillae ſancta quietis
Otia, cum domini iuncta timore Dei.
Vna ſalus ſeruire Deo, ſunt cetera fraudes:
Hic illi verſus ſemper in ore fuit.
Hinc odium thalami conſtans, taedaeque, ſequutum eſt,
Et manſit lecti coelibis vnus amor.
Atque vtinam! non ſic animum firmaſſet in illo,
Lenius haec nobis funera flenda forent.
Adſpiceres paruum nunc, maxime *Cmita*, nepotem,
Viueret et nati multus in ore pater.
Nec tremeret ſummam domus inclinata ruinam,
Digna per aeternos ſalua manere dies.
Qua nulla in noſtris ſupereſt antiquior oris,
Nulla fide, meritis, pectore, Marte, prior.
Sumſeris annales: *Cmitarum* magna videbis
Nomina, et vt ſummo ſemper iere gradu.
Quaeſieris tumulos: *Cmitas* tibi ſaxa loquentur,
Saxa, tot et tantis inuidioſa viris.
Illuſtres animae! nam vos, melioribus oris,
Deſpicere in terras, eſt manifeſta fides.
Cernitis, vt, veſtri generis paene vltimus haeres,
Ante ſepulcralem eſt corpus inane forem.
Cernitis, vt pompae veniunt, vt Parca triumphos
Ducit, et atratos laeta gubernat equos.

Prae-

Praecedit funeſta cohors, nigrique tumultus,
Et quatit infauſtas concolor ordo faces.
Fert eques euerſum, non ſic, vt conuenit, enſem,
Longaque in armata frangitur haſta manu.
Talia ferales celebrant ſpectacula ludos,
Pro moeſtisque gemunt aera agitata tubis.
Magne Comes! tantae ſolus de ſanguine gentis,
In quo magnanimi conſpiciuntur aui.
Adde modum lacrimis, largos et comprime fletus:
Nam pietas manes vincere nulla poteſt.
Mens meminiſſe horret, ſatis ah! ſatis ora rigaſti,
Dimidium periit qua tibi nocte tui.
Condoluere tuo Bachouia rura dolori,
Natali quondam facta ſuperba tuo.
Turba miniſtrorum nocturna errabat in vmbra,
Et concuſſa ſui funere luxit heri.
Lucebant flammae, quauis in parte domorum,
Audiſſes querulos exululare canes.
Impia ſidereos nox nube inuoluerat ignes,
Obſcurum abdiderat Cynthia tecta caput.
Neue polus tantum lacrimis, fletuque, careret,
Protinus eiectas praecipitauit aquas.
Infeſti ſurgunt Boreae, multisque diebus,
Deiicitur mixta plurima grando niue.
Quodque magis ſtupeas, aberant hiemalia longe
Tempora, adhucque ſuos bruma tenebat equos.
Vicinis etiam tunc Sanus inhorruit vndis,
Et ſubito ingentes fletibus auxit aquas.

Quum

Quumque vadum praeberet heri, peditique pateret
Mane rati tumidam vix dabat ille viam.
Saxa fragore crepant, ſub aquis, et triſte, nouumque,
Neſcio, quid viſa eſt ripa ſonare mihi?
Naiadum coetus, montanaque numina, Nymphae,
Dicuntur paſſis fleſſe, per arua, comis.
Omnia luctus erat, moeſtiſſima cuncta videres,
In tali tantae conditione domus.
Quid tibi tunc animi? quae tunc lamenta fuerunt?
Nox tibi tunc, Princeps optime, qualis erat?
Ipſe ego te vidi ſtratis moerere iacentem,
Sic et ad exortam peruigilare diem:
Nec tamen incuſare Deum, tenuiſſe querelas,
Quae poſſent animum dedecuiſſe tuum.
Ergo pius ſimul, et patiens, fortisque, fuiſti,
Nec ſors, quod, de te, perfida iactet, habet.
Nunc quoque, nam lacrimas tibi buſta recluſa reducunt,
Et moeror vires ſuſcitat inde ſuas.
Nunc quoque te cohibe, vanos et mitte dolores:
Nam quid inacceſſas vis reſerare fores?
Nec gemitu potuit, variis neque cantibus, Orpheus
Reddere fatali ſtamina rupta manu.
Omnia nata cadunt: numquam, vt cecidere, reſurgunt:
Lex tantum ſolos non premit iſta Deos.
Quod modo tu ploras, hoc plorauere priores,
Saepe ſuos gemuit Iupiter ipſe mori.
Mitius et certe communia damna feruntur,
Iuſtius exemplo qui caret ille dolet.

Sed

Sed reor, illa tuum plus auget cauſſa dolorem,
Quod nihil, e vobis, iam ſupereſſe vides.
Quodque tua, in nato, careas vel imagine fratris,
Anxius es ſtirpis poſteritate tuae.
Crede Deo, confide Deo, tua vota iuuabit,
Reſpiciet iunctas, cum pietate, preces.
Inque locum fratris ſpera, Comes inclite, natum:
Saepe moram magno foenore reddit ager.
Ver hiemem ſequitur, ſol nubila. Sic tibi tandem
Poſt grauia optatum tempora tempus erit.

ELEGIA V.

Muſam adloquitur, vtque ei STANISLAVM HOSIVM *conciliet, mandat.*

Ergone ſemper eris turpi taciturna timore,
Muſa? quid o! tantum ruſticitatis habes?
Solue puſillanimi ſtultum, de fronte, pudorem,
Ante oculos docti cogeris ire viri.
Vade, meaque illi dic multam voce ſalutem,
Hisque tuae purga crimina longa morae.
O titulis vir note tuis! ſed notior arte
Aonidum, noſtri ſidus, honorque, ſoli!
Da veniam, tibi ſi videor temeraria, quod ſum
Ignota ante oculos auſa venire tuos.
Non equidem ventura fui, prohibente timore:
Eſt adeo nondum mens animoſa mihi.
Non aquilae ſoboles, vt primum prodit ab ouo,
Audet in aethereos tollere lumen equos:

Sic

Sic ego dum recolo, ſim quantula, quantus et ipſe es,
Ad radios timui lumina ferre tuos.
Sed me cunctantem domini violenta poteſtas
Vrgentis duram iuſſit inire viam.
Ille mihi querulis fecit conuitia verbis,
Fallor? an illius iuſta querela fuit?
Sex abeunt menſes, ex quo pulcerrima Craci
Moenia, ſic certa ſorte iubente, colo.
Interea multos, quos ipſe volebat, amicos
Ianitio potui conciliaſſe meo.
Vnus abeſt votis Hoſius, cumuloque meorum,
Qui prior, ante alios, conciliandus erat.
Et facile adſequerer, tu namque facillimus eſſe
Diceris, elatus quem fugiatque tumor.
Scilicet ingenuas quo quis magis imbibit artes,
Hoc magis humanae pectora mentis habet:
Et minor ipſe ſibi, quam multis, eſſe videtur,
Iudicio de ſe fallitur atque ſuo.
Omnibus eſt placidus, ſibi nil, quum poſſit, honoris
Arrogat, et cunctis ſe facit ille parem.
Quo magis indignor noſtro nunc ipſa pudori,
Qui vetuit faciles me reſerare fores.
Has quia iam reſerare mihi eſt conceſſa facultas,
Laetor, et vt capias paucula verba, rogo.
Ianitium tibi trado meum, quod, tempore multo,
A Superis, vana quaeſiit ille prece.
Perpetuo tuus eſſe cupit venerator, et optat,
Vt ſit amicitiae pars quotacunque tuae.

Magna

Magna petit, fateor, ſed apud te nulla repulſa eſt,
Magna ſed eſſe tamen, forſan iniqua neges.
Quo maiora aliquis debet, ſibi credita, tanto
Soluere maiori foenore nonne ſolet?
Nec quod adhuc tener eſt, paene et puerilibus annis,
Reſpue, in hoc vno, nil leuitatis habet.
Plurima concedet ſenibus, conſtanter amando,
Aut aequare ſenes, aut ſuperare, poteſt.
Inſeritur, quod ſcis, maturo virgula trunco
Annua, concreſcit firmiter illa tamen.
Semina ſic cultae commiſſa recentia terrae,
Irrita non vnquam vota colentis habent.
Sed quid opus talem multis obtundere verbis,
Qui quamuis taceas, ſponte petenda facit?
Deſino: ſemper ama iuuenem, te ſemper amantem,
Soſpes et vt poſſis ſemper amare, vale.

ELEGIA VI.

Verecunde a PETRO CMITA *petit, vt ei, ad Italica ſtudia, ſubſidio ſit.*

Luna quater celerem renouauit, in aethere, currum,
Et quater alipedes verſa reduxit equos:
Ex quo *Cmita* tuam me ſors deduxit in aulam,
Eheu! poſt Cricii fata dolenda mei.
Et tamen interea nil, de te, noſtra loquuta eſt,
Muſa, ſed, hoc toto tempore, muta fuit.
Nec tibi ſeruitii ſtudium, pectusque fidele,
Carmine nec noſtram eſt teſtificata fidem.

Da

Da veniam, voluit, ſed eam non vna morata eſt
 Cauſſa, voluntatem quod prohiberet, erat.
Funere patroni mea mens labefacta ſeneſcit,
 Quamlibet, in luctu, continuatque diem.
Vtque, ſerenata quae dulce canebat in vmbra,
 Aere turbato carmina neſcit auis:
Sic ego, ſpes mea me poſtquam, et tutela, reliquit,
 Abieci primae triſtia fila lyrae.
Interiit animus, vires cecidere, vigorque,
 Ingenii patior maxima damna mei.
Non ſum, qui fueram, videor nunc alter, ab illo,
 Eſſe mihi, et tantum nominis vmbra mei.
Quid? quod et aerumnae mihi, morborumque furores,
 Comminuunt, quod erat debile et ante, caput.
Non potui in miſero meditari carmina lecto,
 Quae fierent titulis digna, vel aequa, tuis.
Et timui, ne, dum cupio officioſus haberi,
 Non poſſem tanti ferre laboris onus:
Detraheretque tuae laudi malus auctor, vt ille,
 Qui Macedum laudans polluit acta ducis.
Per tua ſi magnus floreret tempora Homerus,
 Eſſet et Arctoi natus in orbe ſoli.
Vix tibi ſufficeret, tota cum Gorgonis vnda,
 Sit licet heroo maximus ille pede,
Poſt Laertiadi nomen, poſt nomen Achillis,
 Tu certe illius tertia cura fores.
Hinc genus, hinc tituli, ſeriesque vocaret heroum,
 Hinc magnae, ſed quas es bene nactus, opes.

Hinc pietas, qua ſic alios tu vincis, vt omnes
Sidereas rutilo luna nitore faces.
Vt taceam, quibus officiis, meritisque, iuuaris
Commoda Sarmatiae, iuraque laeſa, tuae.
Hinc murum patriae nuper te iure vocauit,
In te ſpem referens, Lachia tota, ſuam.
Quum ſtaret veteri collecta ſub vrbe Leonis,
Arma tenens, fruſtra ſumta, potente manu.
Quid referam faciem? quid, maieſtate verenda,
Quae magnum poſſent ora decere Iouem?
Haec meditans, et adhuc pars vix milleſima laudum
Eſt ea, propoſiti terreo coepta mei.
Et mea, littoreis quae tantum ludit in vndis,
Horret in immenſas currere puppis aquas.
Sed tamen audebo. Audaces fortuna iuuare
Dicitur, et trepidae vela parabo rati.
Viſniciaeque canam titulos, et nomina, gentis:
De tumulo ire tuos, *Cmita*, videbis auos.
Nec nobis Helicon, nec fons Libetridos vndae,
Ad tantum vires ſuppeditabit opus.
Vatibus haec aliis longe quaeſita bibantur:
Eſt prope, quae pectus recreet vnda meum.
Ad cruce ſignatum referam mea labra liquorem,
Stemma tuum, noſtrae tu medeare ſiti.
Ingenio deſunt, ſi neſcis, plurima noſtro,
Et meus incultam pulſat Apollo chelyn.
Tu potes ingenium, mihi tu dare pectus, et ignem,
Quem dare cultori Calliopea ſolet.

E Tu

Tu potes haud multos me transformare per annos,
Et facere, vt fiat, qui fuit anser, olor.
Cera ego sum mollis, cuiuis nimis apta figurae:
Quod manus artificis me volet, illud ero.
O! vtinam timidi cognoscas vota pudoris,
Accipiasque meas, aure fauente, preces!
Et mihi, magna licet tentem, de more benignus
Adnuere, o! nulli vir superande, velis.
Hac tibi perpetuum nomen pietate parabis,
Hac et in ore frequens posteritatis eris.
Si tamen illa meis non fiet iniqua libellis,
Maxima quos, de te, scribere cura mihi est.
Tu modo propositum firma, Comes inclite, nostrum,
Quae peto, magna nimis sunt mihi, parua tibi.

ELEGIA VII.

In suo statim, in Italiam, aduentu STANISLAO SPROVIO, *Podoliae Palatino, laudes Italiae perscribit.*

Quam legis, Euganea tibi littera venit ab vrbe,
Nomine Ianitii scripta, manuque, tui.
Venit, et optatam, *Sproui*, tibi magne salutem
Adfert, in multos laetaque cuncta dies.
Hoc precor, hoc opto, pro te, totisque diebus
Ad dominos fiunt haec mihi vota Deos.
Si noua, per Latium, quae sint, fortasse requiris,
In vestras, a me, digna venire manus.

Copia

Copia vel potius rerum me turba fatigat,
Inque meo totum carmine miſcet opus.
Tot noua ſunt, quot res, noua nam mihi cuncta videntur,
Quaecunque iſtius laus regionis habet.
Illa nimis vulgata voco; nec habenda nouorum
In numero, quia ſunt iam tibi nota, puto.
Caeſaris, et Galli, tantum ad duo luſtra furores
Compoſitos ſtudio, maxime Paulle, tuo:
Turcarum claſſem in Rhodiis, hoc tempus, arenis
Perdere, conſultam ſicque tenere moram:
Corcyrae portum Venetas ſubiiſſe carinas,
Otiaque in totos ducere tarda dies:
Adriacos pedites parui cepiſſe Broaci
Moenia, Dalmaticum qua ferit vnda latus.
Haec noua ſunt, fateor: ſed longe plura ſuperſunt,
Quae foret immenſus ſcribere cuncta labor.
Auribus, atque oculis, noua ſunt, quaecunque per omne
Sunt Latium, o magnis, terra, habitanda Deis!
Intueor coelum: coeli clementia, et aër,
Eſt, qui, Saturno regna tenente, fuit.
Tunc etenim, perhibent, luces fulſiſſe ſerenas,
Et nullos nebulis ſuccubuiſſe dies.
Tunc nullas hiemes, nullos et grandinis ictus,
Frigoraque eiectae nulla fuiſſe niuis.
Nec niſi foecundi flatum ſpiraſſe Fauoni,
Non Euros, Boreas, non fremuiſſe Notos.
Continuos totum flores nituiſſe per annum,
Verna haec, neſcires, eſſet an illa dies?

Bis grauidis plenas tumuiſſe in vitibus vuas,
Semper et in ramis poma ſtetiſſe ſuis.
Aſſiduas ſegetes, nullo ſudante colono,
Tellurem facili ſuppeditaſſe ſolo.
Perpetuo volucres nemus omne agitaſſe ſuſurro,
Perpetuo ſoboli nidificaſſe nouae.
Tempora laetitiis, laetisque iuiſſe diebus,
Aurea de vultu, iure, vocata ſuo.
Haec ego, in Auſonia, paullum aut diuerſa, videre
Cum magno videor paene ſtupore mihi.
Si ſpecto mores hominum, iucundius illis,
Inter tot populos, arbitror eſſe nihil.
Nullus ineſt animis faſtus, nec ſtulta ſuperbi
Verba ſupercilii, colloquiique tumor.
Miſcetur placidis reuerentia mutua verbis:
Nec ſcio, ſi verus, ſed tamen aptus amor.
Omnia commendat quaedam feſtiua venuſtas,
Comis et admixta cum grauitate decor.
Maxima mundities, ſed nulla profuſio rerum
Prodiga, quae partas non bene perdat opes.
Eſt modus in cultu vtiliter ſeruatus honeſto,
Parcaque veſtitus gratia, parca cibi.
Ebrietas facinus tam deteſtabile, quam ſi
Quis rapiat ſacris munera ſacra locis.
Non igitur quisquam, tantum Germana iuuentus
Hinc exoſa etiam, dedita, Bacche, tibi eſt.
Ingenuas taceo mentes, iniuria quas ſi
Prouocat, vltrices concitat ira manus.

Scilicet

Scilicet, vt de se tutam generosa relinquant
 Hosti laetitiam pectora, turpe putant.
Ergo, si non pax, tamen vndique pacis imago est:
 Omnibus armatum lex vetat esse latus.
Sic interdicto nemo praecingitur ense,
 Ni, quod, ab vrbe procul, suscipiatur iter.
Contigit id paucis quod si fortasse licere,
 Praescriptum cautae conditionis habent.
Omnis abest belli facies, non tela, nec enses,
 Cernimus in medio concrepuisse foro.
In tam secura Musarum turba quiete
 Versatur, lauri fronde reuincta caput.
Nil igitur mirum, si magnos ista Marones,
 Eloquiique tulit terra beata Deum.
Pace loquar patriae, quanto felicior essem,
 Haec me tam felix si genuisset humus!
Non tamen idcirco, quoniam sic fata tulerunt
 Prouida, Sarmatiae filius esse queror.
Nulla sub immenso tellus est talis, vt illam
 Fas mihi sit terrae praeposuisse meae.
Italiam miror, patriam veneror que, coloque:
 Adficit illius me stupor, huius amor.
Altera blanditiis animum tenet, altera magno
 Iure: haec hospitium dat mihi, at illa Larem.
Atque vtinam! detur quondam mihi posse reuerti,
 Illius inque pios hinc remeare sinus.
Te quoque, cum Cmita, si sunt ea fata, videre,
 Sed tunc cum patria, iam bene dignus ero.

Interea, te quando frui praeſente nequimus,
　Abſentem cernam, qua mihi mente licet.
Perpetuoque illum, mecum, reminiſcar amorem,
　Omni teſtatus quem ratione mihi es.
Nunc quoque nil dubito, teſtabere, quodque ſolebas
　Eſſe mihi, exacto tempore, ſemper eris.
Te modo, cum regni ſpe ſumma, et laude, Poloni,
　In multos ſeruet Parca benigna dies.

ELEGIA VIII.

Ad LAZARVM BONAMICVM *ſcribit, quum primum Patauium venit.*

Iam ſemel emeritas duxit per ſigna iuuencas,
　Venit et ad primam Luna reuerſa viam.
Vt veterem veni Troianae gentis ad vrbem,
　Euganeos exul depulit vnde Lares.
Non Antenorei mirari incerta ſepulcri,
　Aut, ſi qua illius ſunt monumenta, fugae.
Non: licet haec quoque magna putem, ſit qualis imago
　Hiſtoriae ſummi principis, atque domus.
Cauſſa viae, *Bonamice*, mihi es: te propter, in Alpes
　Iuimus, huc longis tranſiimusque iugis.
Tranſiimus: menſis periit, nec, tempus ad iſtud,
　Adloquium coepi ſollicitare tuum.
Ne mea barbaries Latias offenderet aures,
　Et ſibi diſcincti conſcia lingua ſoni.
Ruſtica ſuſpicio, pudor et damnande, manere
　In patrio, poſt me, debueratis agro.

Aut

Aut certe, ex ipſo curſu, in ſua regna reuerti,
Nec per tam longam me comitare viam.
Non locus hic vobis; vitiis hic parcitur illis,
Cenſetis quae vos eſſe timenda mihi.
Candor, et vrbanae, ſine faſtu, gratia mentis,
Regnat, in hoc ipſo, fertur et orta, ſolo.
Te tamen, ante alios, commendat, *Lazare*, et in te,
Quod narrant, lumen tranſtulit omne ſuum.
Non igitur dubito, quin haec mihi ſola fauorem
Conciliet, ſtudium concilietque tuum.
Haec mihi te ſpondet, quam ſi detraxeris, omnem
Eripies votis ſpemque, viamque, meis.
Nam quid habes, in me, merito quod poſſit amari
A tanto, quantus cerneris ipſe, viro?
Num rudis ingenii, non cultaque, vena coacti?
Num laus Aonio nulla petita lacu?
Carmina ſic facimus, poſſis vt nata, ſub Arcto,
Noſcere, frigoribus conſona tota ſuis.
Vnum ſi noſſes animum, quantique, videres,
Te faciat, quem tu, dignus haberer, ames.
Credis? adhuc patriam colui, iam ſponte remotum
Flagrabat magno pectus amore tui.
Cumque tuo, tuus eſt, Hoſio, te ſaepe loquebar,
Hoc et in illuſtri nomine multus eram.
Felicemque diem nimium, ſanctamque, vocabam,
Qua pia te ſinerent fata videre mihi.
Contigit: vt vidi, primumque audire poteſtas
Dicentem in coetu facta frequente mihi eſt.

Te colere incepi, non amplius ausus amare,
Haec quoque, tempus ad hoc, causa silere fuit.
O! si quid retinent sensus, post fata, sepulti,
Et vigor antiquis manibus vllus inest:
Antenor, quacunque iaces in nocte silentum,
Exilii capias gaudia iusta tui.
Vrbs tua non vllo Latiis concedet honore
Vrbibus; at, sub te Principe, parua fuit.
Concedit nulli, studiorum ceditur illi
Laude, et ad vnius nomen vbique viri.
Hunc quoque Sauromatae, Boreae gens accola, norunt,
Et magna multi sedulitate colunt.
Vtque adeo longas Musarum porrigit alas
Gloria, per nullam debilitata viam.
At tu, quem cuperem, quantis, *Bonamice*, mereris
Dicere, si posset res mea ferre, modis.
Parce simul pauidae simul, audacique, Camenae,
Proiecta, ecce! tuos voluitur ante pedes.
Scilicet hoc pauida est, quod te tam sera salutat:
Audax, sic laudes est quod adorta tuas.
Quum nihil vlla queat vox laudatoris ad illas
Addere, et, ex illis, liuor habere nihil.
Ergo dum cupio nimis officiosus haberi,
Sum reus, in culpa laus tamen vna mea est.
Nempe tui studiosa, tibi deuota voluntas;
Hac quoque contentus creditur esse Deus.
Haec tibi semper erit constans, et sospes, apud me,
Siue tibi gratam sensero, siue nihil.

ELEGIA

ELEGIA IX.

Scribit, ſibi tempus, quo Patauii eſt, cito labi, eiusque rei cauſas PETRO BEMBO, *Cardinali, exponit.*

Vt ſumus in Latio, totum percenſuit orbem,
Signaque in obliquis annua Phoebus equis.
At mihi, quod patriae dimiſimus arua, videtur
Vnus et alter adhuc vix abiiſſe dies.
Feruidiore etiam multo, quam dicitur, illam
Horarum furiam, credo, volare rota.
Nec bene ſtridenti conferri poſſe ſagittae,
Nec rapidae fluuii praecipitantis aquae.
Vsque adeo celeri mihi ſe ſubtraxit in ala
Annus hic, occulta ſurripuitque fuga.
Cur ita? ſi quaeris, Veneti lux nominis, et iam
Romanos inter, *Bembe*, relate Patres.
Scilicet ignoras, quod fata prementia longos,
Efficiunt celeres fata benigna dies.
Certe ego, quod viuo Patauina tempus in vrbe,
In coelo videor viuere paene mihi.
Et me felicem nimium, nimiumque beatum,
O mihi ſortis eat dum tenor iſte! voco.
Euganei facies coeli quem ſola ſitusque
Non iuuet, iſtius temperiesque loci?
Miraque murorum ratio, quam vellet Apollo,
Si fieret rurſus Troia nouanda, ſequi.
Moenibus in mediis, ſiluae, vinetaque, et inter
Vicorum varias flumina ducta vias.

Concentus volucrum per amoenos plurimus hortos,
Quem breuis aduentu vix quoque rumpit hiems.
Qualibet adſpicias, eſt ruris in vrbe voluptas:
Et quae per laetos, Gratia, regnat agros?
Gratia, Muſarum diuinis grata choreis,
Hinc arcem ſtudiis hic poſuere ſuis.
Vel quia pax viget hic ampliſſima: pacis amicae
Sunt iſtae, et fugiunt, in loca tuta, Deae.
Quid referam mores hominum, quando Itala tellus,
Hac in parte, decus vindicat omne ſibi?
Illum ego vel Scythica natum de matre, vel atris
Irati ſcopulis arbitrer eſſe freti:
Quem non delectet, capiat, ciuile virorum
Comibus adloquiis, officiisque, genus.
His multum, inter ſe, quamuis vtantur, in ipſos
Addant externos plus, niſi crimen habent.
Hoc ego, Sarmaticae qui ſum regionis alumnus,
Perpetuo locuples tempore teſtis ero.
Quid Latius candor? quid gratia? quidue voluntas
Promta? vel exemplo, *Bembe*, probabo tuo.
Tu mihi, quod timui vel tantum optare, dediſti
Te colere, expoſitum, vix mihi viſus, iter.
Sis licet excelſum fortunae euectus in orbem:
Inflauit multos haec Dea ſaepe viros.
Difficilesque aditus fecit, vultuque ſuperbos,
Ora nouo docuit, cumque tumore, loqui.
Hoc tamen in rudibus: nam, quos luſtrauit ad amnes,
Muſa, ſuos, quid, in iis, ſors habet vlla ſui?

Non

Non igitur mirum eſt, quod te ſtultaeque, leuisque,
Mutauere nihil flabra ſecunda Deae.
Scimus enim, quamuis gelidam iaceamus ad Arcton,
Nos quoque, Pannonicis potus et Iſter equis.
Nouit Arar, nouit magni gens accola Rheni,
In veſpertinis nouit Iberus aquis:
Bembus in Auſonia quid ſit, quibus atque, per orbem,
Diffudit nomen dotibus ille ſuum.
Et quibus ad tanti ſit ſacra vocatus honoris,
Iudicio lectus, maxime Paule, tuo.
Quum requieta domi procul ambitione teneret
Otia, quae ſapiens otia Phoebus amat.
Sed non occulitur virtus, nocturnaque in atris
Flamma procul tenebris plus quoque lucis habet.
Quintius eſt ad res Romam pertractus agendas,
Dum latitat ſiluas inter, et inter agros.
Ille tamen ciuis, vicinaque rura colebat:
Pertractus ſupero *Bembus* ab vsque mari eſt.
O! igitur tibi, quod clara virtute paraſti,
In multos faciat Parca manere dies.
Neſcio ſi ciues, certe peregrina precatur
Hoc tibi turba, et, in hac, vel prior ipſe precor.

ELEGIA X.

Ad STANISLAVM SPROVIVM, *Podoliae Palatinum, officioſa.*

Si mihi continuis, *Sproui*, hac ex vrbe, diebus
Detur in Arctoum, qui ſit iturus, iter:

Non

Non ſine carminibus quisquam dimiſſus abiret,
Ex quibus obſequii commoneare mei.
Quod tibi ſic promtum eſt, vt ſi ratione probare
Hoc aliqua nequeam, viuere triſte putem.
Sed veluti ſterili fruſtra quis quaerat in agro,
Poſſit Eleuſinae quae dare dona Deae:
Sic mea res quum ſit tenuis, vel nulla, quid vnquam,
Vnde meum noſcas pectus, habere poteſt?
Quid, quod et immenſi ſpatiis diſtinguimur orbis?
Accolo Medoacum, te tua terra tenet.
Commodius forſan praeſens teſtarer id ipſum,
Quod nequeo, quando ſum procul inde, tibi.
Hic tamen expecto, veniat mihi ſi qua facultas,
Quae teſtis ſtudii ſit tibi clara mei.
Expectare graue eſt cupido, ſed id omne ferendum eſt,
Efficiat dexter dum rata vota Deus.
Heu! nihil eſt, iterum fateor, quo noſtra voluntas
Et tibi ſe noſter promere poſſit amor.
In promiſſa tamen demens infirma relabor,
Inque vna huc illuc curro, recurro, via.
Promittit, quod mens cuperet praeſtare, ſed illi
Non datur, haec leuitas naſcitur inde mihi.
Vtque aliquid poſſim, dignum non poſſe videri
Hoc aliquid tanti, cerno, fauore viri.
Nam bene te noui, noui praeclara tuorum
Nomina, ſed melius patria tota, patrum.
De quibus vt taceam celeberrima quaeque, ſub iſtis
Quae ſunt temporibus non aliena, loquar.

Sanguine

Sanguine Sprouino geniti intrusere ferocis
Sub primum Valachi colla subacta iugum.
Arbitrio quorum Regi seruire Polono,
Et nostras leges ferre coactus erat.
His multo iacuit constrictus tempore, et ante
Regales posuit iussa tributa pedes.
Proh Superi! validis tandem eluctatus habenis,
Pocutiae totas fregit, et vssit, opes.
Nostraque praeterito misere vexauit in anno,
Vlciscens clades igne, manuque, suas.
Donec, in hac aestate, meas vt misit ad aures
Fama, nouo coeptum foedere liquit opus.
Foedere, qui quondam non vllum foedus, at atrox
Seruitium norat, duraque frena, pati.
Quid nunc sub tumulis, cineri si verba darentur,
Mensque, putemur auos dicere posse tuos?
Nolo loqui: ne quis vero laedatur, in vno
Veri iudicio turba maligna sumus.
Tempus erit, si fata volent, quo teque, tuosque,
Carmine, quod dederit Musa vocata, canam.
Tunc nullas metuam vires liuoris; et iram,
Tunc nihil, in veris, dissimulanter agam.
Nunc mihi nil animi est, quia nostrae tota carinae
Alea adhuc dubio fluctuat acta mari.
Si dabitur portus, nimbos mea vela minaces
Despicient, tumidos despicientque Notos.
Tu modo, namque in te est nostris spes altera rebus,
Littora me citius tangere posse, iuua.

Haec

Haec vbi contigero, mea tum promiſſa repoſces,
Facta datam rediment quantulacunque fidem.
Quae tu ſi quando tecum penſabis, et illa
Nomine comperies inferiora tuo;
Ante oculos veniat tibi Rex, accepit et aequi,
Conſuluit modicae qui leue munus aquae.

ELEGIA XI.

A Franciſcano quodam rogatus, vt in Scotum quiddam ſcriberet, ſe illi excuſat.

Quid de Scotiacis, mi *Franciſcane*, tenebris
Scribere me, qui ſum nullus ad iſta, iubes?
Et cuperem, et nequeo: rude, ſed natura ſerenum
Mitior ingenium molle deditque mihi.
Vtque diem, lucemque, ſequar, me matris ab aluo,
Non noctu, at medio protulit illa die.
Poſtque Nouembrales, quae me mundo intulit, Idus,
Quarta ſalutato lux ea ſolis erat.
Scilicet, a vitae foribus, pia fata volebant
Cum coecis nobis noctibus eſſe nihil.
Ignoſces igitur, quia reſpondere, rogatus,
Non poſſum votis hac ego parte tuis.
Da mihi materiam, teneris pro viribus, in me
Officii nullas experiere moras.
Sed dare non poteris: nemo, niſi mater amoris,
In mea conueniens carmina nouit opus.
Haec mihi formoſam, dignamque Helicone, puellam
Si dederit, blando carmine quantus ero?

Tunc

Tunc alius dicar: tunc proximus eſſe querelis
Siue tuis, Vmber, ſiue, Tibulle, tuis.
Oris habebo ſatis, dominae quum labra, genaſque,
Laudabo, flauae caeſariemque comae.
Nec male plorabo, pacta mihi nocte, repulſam,
Forſan et alterius laeſus amore viri:
Nec mihi deficient irae, quum iuſtus auarae
Compulerit lenae dicere probra dolor:
Aut execrari manes illius, amorem
Qui primus docuit vendere, quisquis erat.
O! ego quam canerem Paeana, admiſſus ad illud
Optatum tacito, nocte ſilente, pede!
Illam tunc noctem Scoti praeponat amaris
Noctibus, eſt vitae cui melioris iter.
Cui ſenium venit ante oculos, quod commoda nobis
Tot rapiet, miſeros iniicietque dies.
Hoc ego, confiteor, timeo, tamen opto: ſed ante
Quam veniat, laeta curre, iuuenta, via.
Quisque ſuos ſequimur Genios: mihi mollibus actas
In ſtudiis, magnis libera rebus, eat.
Tu Labyrintheos miſero ſcrutare labore
Anfractus, dubias circumeasque fores.
Dii tibi dent pennas, ſibi quas aptaſſe feruntur,
Cum nato, fugiens talia tecta pater:
Siue Cupido ſuas: illis per amoena volares
Ad ſanctos, noſſet ſi Deus ille viam.
Ad veſtras certe ſanctas bene nouit, et illis
Saepe, vt ſcis, pueros donat, et ipſe puer.

ELEGIA

ELEGIA XII.

In Polonici vestitus varietatem, et inconstantiam, Dialogus.

Iagello Rex. Stan. Morosophus.

Rex. Pannonas, et Valachos deuicit Turca, propinqua est,
Vt video, regno maxima flamma meo.
Surgo igitur tumulo: rebus si forte meorum,
Consilio, aut alia subueniamus ope.
Stan. Audio: Rex hic est, Rex tertius arma minatur,
Sed non fert: sic gens tota Polona facit.
Moris homo nostri, nisi quod fulciuit, ouilla
Pelle, togam, et Turcas vincere maius erit,
Quam Prussos: prodit propria se voce; Iagello est:
Accedam; quo, Rex, tendis, et vnde venis?
R. Ad vos e tumulo. *S.* quid caussae? *R.* Turca. *S.* quid illi
Tu facias? valida est bellua. *R.* Saepe tamen
Victa. *S.* Ad patronos res nostra abit ergo sepultos?
Viui annon Reges sunt duo? sintque, precor.
R. Impare Dii gaudent numero. *S.* meretrix quoque. *R.* vtrique
Sunt sacra, cum Turcis, foedera, nulla mihi.
S. Foedera? sed taceo; quos autem armabis? *R.* eorum
Natos, qui Prussos me domuere duce.
S. Visne videre istos? *R.* opus est. *S.* illam adspice turbam.
R. Tota peregrina est turba ea, mitte iocos.
Et nunc, quaeso, mihi quam primum ostende Polonos.
S. Quando reuiuiscent. *R.* nunc volo. *S.* nunc et ego
Ostendo,

Oſtendo, quales habeo. *R.* deludis, an iſte
Eſt cultus gentis, ſtulte, habitusque meae?
S. Tu potius ſtultus, qui neſcis, tempore multo,
Omnia mutari. *R.* iam ſcio, at vna tamen
Forma rei remanet mutatae: hic mille figuras,
Ex vna veteri, cerno, meosque nego
Eſſe iſtos: fuit ornatus, fuit vna meorum
Formula veſtitus, et fuit vnus amor.
Inter aues iſtas, variat pluma: vnde putandum eſt,
Quod varient animi. Nam ſimile, ad ſimile,
Et Deus, et natura, trahit. Iam fungitur omnis
Vincendi Turcas ſpes, animusque, mihi,
Si bellum iſta geret, quam monſtras, turba: quid autem.
A Turcis, miſſas hic ego cerno togas?
Aut hoſti turba iſta fauet, quia gaudet amictu
Illius? aut omen res habet iſta malum?
S. Immo forte bonum: ſpolia haec ex hoſte feremus,
Vtemurque ſuis rebus, et exuuiis.
R. Dii faxint! quid? qui, a collo, arrexere bicornem
Pannum, Pannonico more, ſupra vsque caput?
S. Si fugant, ventusque ruat poſticus in illos,
Hoc velo poterunt accelerare fugam.
Sed nunquam fugient: prohibet nam calceus alto
Subnixus ferro, ni ſibi crura volent
Frangi, dum fugiunt: ſic noſtra ciconia, vt iſte,
Ambulat, et librat ſic, per aquoſa, pedes.
R. Condoleo miſeris, quod compede ſponte ligarint
Ipſi ſe. *S.* Adſueſcunt vincula poſſe pati.

 R. Calcar

R. Calcar praeterea adiungunt cubitale ſonorum.
S. Nempe locus pugnae ſi lapidoſus erit,
Deſilient ab equis, ſtrepitumque hic calcibus edent,
Terrebuntque hoſtes, ſicut arator aues.
R. Adſpice longipedes hos curta veſte; quid illi?
S. Nomen militiae curta ea veſtis habet:
Graeculus vt quidam prohibet, Stratictica Graece
Dicta eſt: militibus conuenit ergo bonis.
Brachia non onerat, non impedit arma ferentes
Commoda tranſiri flumina, ſi ſit opus.
R. Germanos, Italos, Gallos, quot conſpicor? *S.* at nil,
His populis, bello clarius orbis habet.
R. Denique nullum hominum genus arbitror eſſe, quod iſti
Permiſtum turbae non videatur. *S.* Agas
Iure Deo grates, Regi diuerſa Polono
Natio nunc paret, multus et eſt populus
Ex vno natus populo: ſic grana papauer
Ex vno, diuum nomine, mille facit.
R. Grana tamen mille illa ſuae conformia matri
Sunt; at in his veterum quae nota, quaeſo, patrum eſt?
S. Mutarunt veſtem, non pectora: viſne Senatum,
Nunc etiam ad laeuam reſpice: quid lacrimas?
R. Ii quoque degenerant, vt plebs, variantque; Senatus
Non variat Venetus, purpura longa tegit
Omnes, vt narrant; ergo res publica nunquam
Illorum variat, longa, eademque, manet.
At veſtri Proceres! inciſus calceus illi eſt,
Leuiter huic thorax; hic tunicam, hic caligas

Con-

Consecuit, pueros quod vix docuisset, in ipsa
Mileto genitos. *S.* Asper, et acer homo es,
Et temere damnas, quod nescis, quid sit: vt ergo
Noris; ii vestes consecuere suas.
Vt vulgo ostendant, se, propter publica regni
Commoda, conscindi velle, priusque mori,
Atque ita concerpi, vt vestes, quam àdmittere quidquam,
Indignum patria, relligione, fide.
R. Spem reuocas, animumque, mihi; quid colla superbis
Torquibus, et gemmis irradiata manus.
S. Garrulus, et prolixus homo es, quin quaeris ab ipsis
Cetera? ego interea temporis est, quod agam.
R. Verbum vnum. *S.* sine me, vis est haec, mitte, tuisque
Luctam cum laruis instrue, bella gere.
R. Dic quis homo es? *S.* Miles. *R.* prima hoc ego fronte notaui,
De bello, atque armis, dicere multa potes.
Quod nomen? *S.* miles. *R.* non miles vestibus. *S.* et tu
Pellibus iis non Rex. R. Sobria nonne placent
Vestimenta tibi, sine luxu, in Rege? sed et tu
Vestitus causam iam mihi redde tui?
A collo tibi, per scapulas, dependet onustus
Aut lana, aut foeno saccus, et hocce nouum est.
S. Muniui hoc clypeo dorsum: nam vera loquentes,
A vestris, baculum, praemia, ferre solent.

VARIARVM ELEGIARVM
FINIS.

VITAE POLONORVM PRINCIPVM.

LECHVS I.

Quae modo Sarmatia eſt, quondam deſerta fuerunt
Inuia, poſt magnas Deucalionis aquas.
Primus, in haec, Lechus populum deduxit agreſtem,
De patria pulſus, ſeditione, domo:
Dalmata vir, Phariis, claro patre, natus in agris,
Quos rapidus curuis Crupa pererrat aquis.
Colle ſuper pulcro, properatae moenia Gneſnae
Struxit, et, a nidis, nomen habere dedit.
Omine permotus: multas ibi namque videbat
Per vicinum aquilas nidificaſſe nemus.
Exule patre ſumus, ſed plurima regna, per orbem,
Principia exulibus dant ſua; Roma notho.

POSTERITAS LECHI.

Creſcentem Lechi populum tenuere nepotes,
Extremum poſtquam clauſerat ille diem.
Nomina neſcimus, neſcimus tempora, per quae
Durarint, iſtis praefuerintque locis.
Longa fuiſſe tamen conſtat; quia, Principe Craco,
Noſtrorum ſoboles iam numeroſa fuit:
Sic vt opus fuerit regni proferre priorem
Limitem, ad vſque tuum, Viſtula magne, caput.
Dic modo, qui Muſas contemnis, et vtile docto
Nil patriae a calamo poſſe venire putas,
Cur tantum hiſtoriae nobis perit? Inter agreſtes
Tunc illas nemo ſcribere doctus erat.

XII. PA-

XII. PALATINI.

Libertatis amor fertur cepiſſe Polonos,
Vt cecidit Lechi tota ſepulta domus.
Bis ſenis datur ergo viris rerum aequa poteſtas,
Terra Palatinos nunc quoque noſtra vocat.
Publica qui regerent: ſed quos decepta volebat
Patria paſtores eſſe, fuere lupi.
Dum ſua quisque petit, quaerit ſua, maximus inter
Tot regni ſocios, primus et eſſe cupit.,
Adflixere diu patriam, velut ante tyranni
Triginta muros, Attica terra, tuos.
Vnius imperium res optima, qui ſua calcet
Commoda, ſubiectae commoda gentis amet.

CRACVS.

Eluctata iugo multorum, patria, Cracum
Praefecit rebus laeta, lubensque, ſuis.
Finibus hic pepulit Gallos, qui noſtra ruebant
In rura, exuſtae poſt mala Pannoniae.
Inuitus regni tenuit quoque ſceptra Bohemi,
Et rexit geminum, carus vtrique, ſolum.
Tunc habitaſſe draco fertur, ſub rupe Vaueli,
Dirus vicini depopulator agri.
Sulphure farcit ouem Cracus, monſtro obiicit: illo
Interiit ingens bellua victa cibo.
Conditur, a Craco, Cracouia: fabula Gracchi
Friuola Romani iam mihi, quaeſo, tace.

LECHVS II.

Cracus erat patris ad Craci iam ſceptra vocatus,
Quum fratris Lechi fraude, doloque, perit.

Venatum exierat, cognato occumbit ab enſe,
Secrete obruitur, dilaniatus, humo.
Narrabat nebulo, ſorptum eſſe voragine coeni,
Dum temere vrget equo, perſequiturque, feram.
Addebat falſo lacrimas, luctumque, dolori:
Hac patrium obtinuit callidus arte locum.
Sed ſcelus occultum poſthac innotuit: ille
Pellitur, et partas fraude relinquit opes.
Diſcite, diuitias ſcelere o! quicunque paratis,
Sic feriet veſtrum veſtra cupido caput.

VANDA VIRGO.

Connubii ob crebram virgo formoſa repulſam
Teutonici bello Vanda petita Ducis.
Hoſti congreditur: vincit. Magno ille pudore
Incumbit gladio, ſe peremitque, ſuo.
At victrix, mea virginitas ſit victima vobis,
O Superi! per quos eſt mihi ſoſpes, ait.
Rotogari effugi thalamos. Sic fata: ſub alti
Se fluuii rapidas praecipitauit aquas.
Bactra Semiramiden, Tomyrin Scythaque ornet, vtrique
Quam meus anteferat laude, Polonus habet.
Aequentur regnis: aequentur Marte: licebit.
Aequari Vandae quae, rogo, morte poteſt?

XII. PALATINI ITERVM.

Ad bis ſex iterum recidit gens noſtra tyrannos,
Immemor o quanti tam cito facta mali!
Tunc nos calcabant Moraui; tunc Pannones: omnis
Denique Lechidis quisquis iniquus erat.

Mutua,

Mutua, proh! Reges miſcebant praelia, tanquam
  Eſſet ab externo non ſatis hoſte mali.
Plebs iterum damnat ſua vota, et flagitat vnum,
  Oppreſſis tutam qui ferat vltor opem.
Quos pelagi fluctus vidiſti, agitantibus Euris,
  Inſtabili huc illuc mox leuitate rapi.
Vidiſti vulgus: vidiſti grandia vulgi
  Conſilia, in votis, propoſitoque, fidem.

LESCO I.

Reſtituit patriae, magna virtute, ruinam
  Leſco ſuae, miris vſus in hoſte, dolis.
Sub nemore hoſtis erat: Leſco, ſub nocte ſilenti
  Adpendi galeas, per nemus, omne, iubet.
Sol oritur: galeas accendit: it obuius hoſtis
  In nemus, inſtructi militis arma putans.
Nil reperit, ſpecies quia Leſco remouerat illas;
  Sic noſtros Morauis terga dediſſe putat.
Caſtra mero celebrat, belli ſecurus: in atris
  Leſco venit tenebris: caſtra ſopita capit.
Aeternumque hoſti dat ſomnum; longa Polonis
  Otia, finitimis foedera, iura, metum.

LESCO II.

Attulit huic regnum variorum curſus equorum,
  Et praeter morem Sors oculata ſuum.
Dignus erat regno, quamuis patre natus agreſti
  Ruſticus, et modici iuſtus arator agri.
Non bello, quam pace, minor: mireris in illo,
  Hoc, qui nulla vnquam nouerat arma, viro.

Ante oculos voluit monumentum vile prioris
Fortunae, ſagulum, ſemper habere ſuos.
Et tamen illius non legerat ille poëtae,
Sarmatico dignum carmen in orbe legi.
Fortunam reuerenter habe, quicunque repente
Diues ab exili progrediere loco.

LESCO III.

Quam fuerit belli cupidus, quam Martis amicus,
Iſte, vel hoc ſigno diſcere quisque poteſt.
Quum, ſub eo, patriae pax arma quieta teneret,
Bellandi fieret nullaque cauſa domi:
Impatiens otii, Graios contra, atque Latinos,
Pannonibus toties auxiliaris erat.
Viginti genitor, varia de matre, nothorum,
Infamat quantum tanta libido virum?
Saepe, licet magni, poſt multa trophaea, legantur,
Et Cypriae ſtudiis incubuiſſe Diuos.
Quod ſi defendi exemplo non poſſit Achillis,
Leſco et Alexandri, Mars quoque moechus erat.

POPELVS I.

Anne tibi lectum tantum, laſciue, reliquit,
Non etiam clypeos, armaque dura, pater?
Et Veneri tantum iuſſit ſeruire? Gradiuo
Non etiam, o! noſter Sardanapale, ſuo?
Quando quidem, in fratrum tam multa gente tuorum,
Legitima ſolus coniuge natus eras:
Succeſſiſſe etiam patriis te laudibus aequum,
Non tantum vitiis, imperioque, fuit.

At

At genitore tuo felicior ipſe fuiſti
Hac in tam rari parte, Popele, boni,
Quod tibi tu ſimilem genuiſti: quique putaret
A cuculo cucūlum degenerare nefas.

POPELVS II.

Dum timet hic regno pelli, vir inutilis, et cum
Coniuge conſultat, quid male tutus agat:
Vim morbi ſimulat, patruos accerſit, et illis,
Viginti fuerant, toxica mixta dedit.
Orta cadaueribus vis murum erupit, et illum,
Vxorem, natos, vndique dente petit.
Dilaniat: fruſtra medios fugiebat in ignes,
Fruſtra in Goplaeas perfidus hoſpes aquas.
Diſcite iuſtitiam, qui, propter lucra, paratas
Fertis, et exertas ad ſcelus omne, manus.
Eſt Deus, eſt ſcelerum vindicta, eſt poena malorum:
Vnde putes minime poſſe venire, venit.

PIASTVS.

O priſcos hominum mores! o neſcia et faſtus
Simplicitas! ingens o probitas, et amor!
Non puduit proceres homini dare ſceptra Polonos,
Qui modo cultor agri Cruſphicienſis erat.
Ob ſolas virtutis opes, virtutis honorem,
Qua vir in exigua floruit ille caſa.
Hoc orti de fonte duces, Regesque Poloni
Durauere dies ad, Ludouice, tuos.
Compita Cruſphiciae veterum, noſtro eſtis in orbe
Euentu gemini nobilitata Ducis.

Regnum ruricolae deferri; a mure vorari
Regem; res aeque prodigiosa fuit.

SIEMOVITVS.

Sic et Alexander iuuenis, vix illa suarum
Ingressus rerum limina magna, perit:
Vt, Siemouite, peris, patriaeque relinquis acerbos
Moerores, iustam mortuus ante diem.
Ense tuo eiecti de nostro turpiter agro,
Vltra Carpathium Pannones vsque iugum.
Tota tibi soluit Pomerania victa tributum,
Fluctibus et nostris accola quisquis erat.
Quattuor annorum sunt isthaec omnia, quid si
Non abrupta tibi tam cito vita foret?
Quamuis, quantumuis modicae sub tempore vitae
Maxima qui gessit, vixit abunde diu.

LESCO IV.

Quam pater inuictis Siemouitus fecerat armis
Pacem, Sauromatis attuleratque suis.
Filius est illam miro complexus amore,
Et vitae summam fouit ad vsque diem:
Vir cuius mores nemo reprehendere possit,
Aut nisi quem pugnae classica bella iuuant.
Sed cur bella geras, frueris qui pace? quid optes,
Contentus proprio qui potes esse, meum?
Gloria ad arma vocat multos, laudumque cupido,
Spes praedae multos diues ad arma vocat.
Vtraque bellandi caussa iniustissima; solam
Quae pacem quaerunt, praelia iusta voca.

SIE-

SIEMOMISTVS.

Vltimus iſte fuit, noſtrorum ex ordine Regum,
Ignari, falſos qui coluere Deos.
Huic peperit coniux oculorum luce carentem
Haeredem, ſterilis quum foret ante diu.
Mos erat infanti, vitae vt compleuerat annum,
Ludere, quod vellet nomen habere pater.
Ergo dies venit ſimul illa, recepit ocellos,
Oſtentum dubia plebe ſtupente, puer.
Res ea ſignabat, diſcuſſa nocte, Polonos
Viſuros lucis lumina vera nouae;
Viſuros illo Chriſtum ſub Rege, negemus,
Quod bona praeſtituat quaeque futura Deus.

MESCO I.

Chriſte, ſub hoc, ad nos, veniſti Principe, ab hoſte
Poſſeſſas Stygio commiſeratus oues.
Ceſſerunt idola tibi: Mars, Laeda, Gemelli,
Cynthia, Pluto, Ceres, Iupiter, Aura, Venus.
Femina te nobis oſtendit prima Bohemo
Sanguine, prima crucem nos docuitque tuam.
Si tu prima quidem nobis es cauſſa ſalutis,
Ipſe Deus, mulier cauſſa ſecunda fuit.
Illa tuo tingi Meſconem fonte maritum
Fecit; terra ſuum eſt tota ſequuta Ducem.
Plurima tunc data ſunt tibi templa, nouemque cathedrae,
Et, quas ſacrifici dilapidamus, opes.

BOLESLAVS I. CHABRI.

Vici, deuictos cepi, cum Rege, Bohemos,
Subieci Morauos, Saxoniosque, mihi,

Caſſubios,

Caſſubios, populosque, freti cis littora noſtri,
Et Pruſſos, dubia teque, Ruthene, fide.
Imperii fines, poſitis ex aere columnis,
Signaui, Herculeum ſic imitatus opus.
Nec mihi templa minus curae, quam caſtra, fuerunt,
Hac quoque laude patri cedere nolo meo.
Regia ab egregio ſortitus ſtemmata Othone
Sum Gneſnae, Gneſnae tunc meus hoſpes erat.
Quae quicunque geris, fac, ſis hoc dignus honore,
Quo tunc, tam magno iudice, dignus eram.

S. ADALBERTVS EPISCOPVS.

Praeſul Adalbertus, Pragenſi pulſus ab vrbe,
Rege ſub hoc nobis vtilis exul erat.
Vtilis exemplo, doctrina, maximus omni
Vir laude, a vera quae pietate venit.
Lignicolas adiit Pruſſos, ſi forte vocari
Ad Chriſti, per eum, gens ea poſſet iter.
Spretus, barbaricae iugulum dat forte macherae,
Sacrificat ripam dum ſuper, Oſſa, tuam.
Exanimum corpus Rex, dura a gente, redemtum,
In patria, ſacro fecit honore coli.
Quam ſit eo dignus, per tot miracula, per tot
Signa, docet iudex, ad ſua buſta, Deus.

MESCO II.

Degener, imbellis, gula, crapula, ſordibus vxor
Vxoris totus femina, lurco, nihil,
Hic erat: Vxor erat Rex, Princeps, omnia, noſtrum,
Aſperius quouis angue, peroſa genus.

Teuto-

Teutonibus tantum aequa ſuis: quam credis ab illa
Tractata eſt miſeris terra Polona modis?
Tunc Boleslai nobis periere labores,
Ruperunt noſtrum regna ſubacta iugum.
Vt rapuit tantum mors fauſta phrenitide Regem,
Pellitur e regno Rixa, fugitque, ſuo.
Dant poenas ſcelerum: furor hunc, dolor abſtulit illam,
At longo fato dignus vterque fuit.

CASIMIRVS. I.

Innocuus, cum matre, puer Caſimirus eodem
Exilio, matris crimine, pulſus erat.
Cluniaci placuit ſibi vita monaſtica; ſeruus,
Quam cuiusquam hominis, maluit eſſe Dei.
Nos ſumus interea ſine Principe, ſubdita cunctis
Terra, dolor fuerit, quae numerare, malis.
Reddimus eiecto regnum: multa ille reuerſus
Reſtituit, melior vix patre, dignus auo.
Maslaum domuit, ciuili Marte furentem,
In reliquos manſit pax ſibi grata dies.
Quod Deus innocuis adſit, quod corruat inſons,
Maiori vt ſurgat laude, videre potes.

BOLESLAVS II. AVDAX.

Quam bello magnus, quam magnis ſtrenuus auſis
Boleslaus erat, tam truculentus erat.
Vaſtauit Morauos, Hunnos, te, Ruſſe, Bohemos,
Vaſtauit patriae nec minus arua ſuae.
Cuncta libidinibus complebat, cuncta rapinis,
Cuncta ignominiis, ſanguine, cuncta metu.

Ponti-

Pontificem ſecuit fruſtatim, recta monentem,
Vrbis pontificem, maxime Crace, tuae.
O ſcelus! o portentum! o noſtri infamia Regni!
Non tibi ſacrilegae tunc cecidere manus?
Vnde, et vbi periit, ne iam dubitate Poloni,
Raptum ſub Stygiis obruit Orcus aquis.

S. STANISLAVS EPISCOPVS.

Iuſtitiae teſtem tres iam tellure ſepultum
Aeſtates, Praeſul ſuſcitat iſte ſibi.
Propter oues, paſtor rabidi cadit enſe tyranni,
Dum litat aeterno pane, meroque, Deo.
Nec ſatis hoc viſum ſceleris; non illa cruentae
Tigridis ingluuies ſic ſatiata fuit.
Disiicitur ſectus per agros, ſed nulla volucris
Auſa eſt tam ſancti tangere membra viri,
Indicio radii coeleſtis, fruſtra leguntur,
Concreſcunt miro conſolidata modo.
Terrea quando facit tam magni membra piorum,
Quanto animos foueat, credis, amore Deus?

VLADISLAVS I. HERMANNVS.

Plurima reſcidit fratris decreta tyranni
Hermannus, Latio par pietate Numae.
Hunc ſpurius vetitis vexauit filius armis,
Sed pius arma tulit, pro pietate, Deus.
Vincitur impietas Gopleae, ad ſtagna paludis,
Induit inque feras debita vincla manus.
Dic, qui multa legis, quot dignos laude, pioſque,
Legeris, hiſtoriae per genus omne, nothos?

Telogo-

Telogonus, qui pisce patrem obtruncauit Vlyssem,
De turpi Circes natus amore fuit.
Proditor Aeneas patriae est, ne crede Maroni,
Romulus occisor fratris: vterque nothus.

BOLESLAVS III. CRIVOVSTVS.

Hic quinquaginta pugnauit praelia, signis
Collatis, casu non variante fidem.
pugnauit quoties, toties et vicit, eorum
Nomina quos vicit, quod breue claudat opus?
Caesaris Henrici magnas fudisse cohortes
Sat sibi, si deessent cetera, laudis erat.
Moerore interiit, quod prorsus inermis, ab hoste
Foedifrago, victus fraude, doloque, semel.
I, modo Pompeii numera mihi, Roma, triumphos,
Nos Boleslai praelia: maior vter?
Pompeium Caesar bello prostrauit aperto:
Fraus potuit nostrum vincere sola Ducem.

VLADISLAVS. II.

Quattuor in natos, Regnum diuiserat aequis
Partibus, egregia cum ratione, Pater.
Ladislae, tibi cessit Cracouia, natu
Maxime, auaritia maxime, Marte nihil.
Fratribus eiectis, solus dum quaeris habere
Omnia, possessis pelleris ipse bonis.
Coniuge cumque tua, quae rem tibi suasit iniquam,
Victus, in externam profugis exul humum.
Ignorata tibi fuit alea? discere in illa,
Contentus proprio viuere quisque potest.

Namque

Namque aliena petens perdit ſua luſor, et aurum
Dum cupit, amiſſo flens abit aere domum.

BOLESLAVS IV. CRISPVS.

Dum cogit Pruſſos ad Chriſti dogma Polonos,
Amiſſo euertit milite Criſpus opes.
Transfuga ducebat noſtros malefidus, iniquum
Transgreſſos Oſſam pertrahit inque locum.
In conueſtitum viridanti ceſpite coenum,
A tergo in ſiluis abditus hoſtis erat.
Inſilit: incluſos coeno ſuffocat in illo;
Vix pauci incolumes ſe eripuere fuga.
Mens generoſa dolo quia nil agit, ipſa malignis
Opportuna dolis, inſidiisque, capi eſt.
Et quia metitur propriis virtutibus omnes,
Eſt in perniciem credula ſaepe ſuam.

MESCO III. SENEX.

Saepe dies oritur nitida face; nec tamen illi
Credideris, ſubito nubilus eſſe poteſt.
Grandine meſſores lapidare, tonitribus orbem
Concutere, et rapidis frangere fulminibus.
Ecce Senex noſter, Regni quum cepit habenas
Vir bonus, et placidi fratris imago, fuit.
Mox ſobole ingenti, generis, affinibus, auro
Inflatus, coeptam deſtitit ire viam
Nil illo peius, nil et crudelius illo,
Audace excepto, patria noſtra tulit.
Sed tamen eſt pulſus. Nunquam impunita tyrannis
Sarmaticis feritas ſcilicet vlla fuit.

CASIMI-

CASIMIRVS II. IVSTVS.

Tractus ad imperium precibus, lacrimisque suorum,
Imperii fractas surgere fecit opes.
Percussit scelerum fratris, iusto ense, ministros,
Sacrificis pacem, ruricolisque, dedit:
Qui modo calcati, sub direptore, iacebant,
Inque suis rebus nil habuere sui.
Intulit in patriam corpus, Roma vsque petitum,
Diui, qui Floris nobile nomen habet.
Mixta dedit domino scelerati aconita ministri
Inter sollemnes perfida dextra dapes.
Trusit et in subitum, patria plangente, sepulcrum
Delicias hominum, deliciasque Deum.

LESCO V. ALBVS.

Cum sene bellaui patruo, sed, an impius isto
Sim facto, iusti discutitote viri.
Esset vter rerum dominus, certauimus; at me
Id velle, in patriam, nudus adegit amor.
Ne paterer regnare lupum, maiore petentem,
A quo pulsus erat, cum feritate, gregem.
Dum lauor, inuadit Pomeranus balnea, inermem
Dat non speratae meque, meosque, neci.
Quanto igitur rerum dominis securius aeuum,
Quod quidam scripsit, cernite, pauper ait:
Tempora sunt, loca sunt quaeuis metuenda potenti,
Quod viuit, totum est cura, pericla, metus.

BOLESLAVS IV. PVDICVS.

Tartaricus furor in cineres, regnante Pudico,
Sarmatiae totas paene redegit opes.

In flammas abiit Cracouia, quidquid et agri
 Porrigitur, ripas, Odera, ad vsque tuas.
Fugerat ad Ingros Princeps, quia viribus impar
 Ad confligendum, cum ſubito hoſte, fuit.
Stanislae, tuos cineres tellure leuauit,
 Et ſacrum, in faſtis, fecit habere locum.
Coniuge conſenuit cum virgine virgo maritus,
 Addictus ſtudiis, caſta Diana, tuis
Bochnenſes reperit theſauros primus, et inde
 Sarciit a diris damna recepta Getis.

LESCO VI. NIGER.

Quanta locuſtarum, quo nos haec ſcripſimus anno,
 Adpulit in noſtros agmina ventus agros:
Agmina tanta ferunt, in nos, veniſſe Getarum,
 Sub Nigro, et primum congeminaſſe malum.
Iis ceſſit ſolis, alio qui ſemper in hoſte,
 Cum quocunque iniit praelia, victor erat.
Arma Ruthenorum ductore ſuperba Leone,
 Et magna, exigua contudit ille manu.
Obtriuit quoties Lithuanum, et Iazigas? hoc iam
 Interiit noſtro funditus enſe genus.
Multa, in Chriſticolas, nil laudum habitura, fuerunt
 Bella: laceſſitus ſed quia vicit, habet.

HENRICVS BROBVS.

Teutonibus ſolis claues permiſerat vrbis,
 Quae regni titulum poſſidet vna, Niger.
Illi Sileſium furtim, ſub nocte ſilenti,
 Moenibus accipiunt, cui ſtuduere, Ducem.

Nobilium

Nobilium contra, contra decreta Senatus,
Nair cui legitime ſceptra darentur, erat.
Perfida pars vicit: regnat Probus, exulat heres,
Sed res, parta dolo, non diuturna fuit.
Silesii Henricum dubio rapuere veneno,
Quod factis alter, nomine et alter, erat.
Qui fraudem in vita coluit, rem fraude parauit,
Qua periit: dignus fraude perire fuit.

PRIMISLVS.

Ob ſcelus Audacis raptum diadema Polonis
Rettulit iſtius gloria, luxque, viri.
Magnus erat: tantum peperit qui primus honorem
Nobis: magnus et hic, qui reuocauit, erat.
Splendidus, antiquis certans heroibus omni
Virtute, in ſummo quam decet eſſe viro.
Caeditur inſidiis, celebrans ſollemne Liici,
Inuidiam virtus dat ſibi, et illa necem.
Et caute, et timide, genio ſeruite, potentes!
Exitio multis lux genialis erat.
Hac Cyrus interiit, Macedo interiitque Philippus:
Hac eſt Argolicis Troia cremata rogis.

VENCESLAVS BOHEMVS.

Ad Venceslai vsque dies, Auguſte, Bohemi
Scortea Sauromatis tota moneta fuit.
Nummus erat pellis, detracta animantibus illis,
Quas aſpergillos patria noſtra vocat.
Hoc ego dum cuidam narro, qui ſtrangulat amplo
Arcas argento, ſemper egenus ait:

 Ergo

Ergo putrefcebant tunc nummi? O dura priorum
Tempora! tunc nafci res miferanda fuit.
Gratia magna Deo, quod homo fum natus, in ifta
Secula, quum pelles non nifi futor habet.
Quod fi quando Deus mala vult fecla illa reuerti,
Tunc ego, tunc, Superi, miluius effe precor.

VLADISLAVS III. CVBITALIS.

Corpore paruus eram, cubito vix altior vno,
Sed tamen, in paruo corpore, magnus eram.
Non ego Prufforumque, Bohemorumque, cruorem
Iactabo, cladem nec, Gedimine, tuam.
Fortunam vici, cum qua mihi bella fuerunt,
Vt Niger, e terris, trifte volarat iter.
Ter cecidi regno: per te, Rhamnufia, femper,
Poft lapfum, erexi maius, ad arma, caput.
Corde viris opus eft magno, non corpore: magnum
Qui ftrauit Goliam, nonne pufillus erat?
Ingentem paruus Poliphemum vicit Vlyffes,
Sed tamen ille hominem: tam graue numen ego.

CASIMIRVS III. MAGNVS.

Nil hoc fplendidius, nil magnificentius vno eft,
Quodcunque illius refpiciatur opus.
Legibus armauit patriam, placidumque fub illo
Libertas, ad nos, protulit alma caput.
Oppida tot cinxit muris, quod paene, per omne
Hoc Regnum, muris oppida cincta vides.
Tres fimul hofpitio excepit, cum Caefare, Reges,
Quum tibi dat neptem, Carole quarte, fuam.

Rex

Rex ingens opibus, bello, pietate, quid illum,
Quid premis infami Cypria ſola nota?
Hunc dici Magnum, eſt iniuria magna, Poloni;
Iure ſuum nomen, Maximus, eſſe poteſt.

LVDOVICVS HVNGARVS.

Non quia vir fuerit nequam, Ludouicus, et vltor
Crudelis, noſtras non bene rexit opes.
Sed quia Pannoniae dum plus amat arua paternae,
Linquebat ſaeuis iſtud ouile lupis.
Qui nouit, quid agant famuli, ſi longius abſit,
Praeſertim fuerit qui minus aſper, herus.
Hic videt aerumnas, quas multa abſentia veri
Paſtoris noſtrum tunc cumulabat oues.
Illo Rege, quidem leges creuere: ſed, illo
Rege, tamen robur non habuere ſuum.
Lex niſi tutores habeat contra arma potentum,
Eſt, quod araneolus, ſub trabe, nectit, opus.

IAGELLO, SEV VLADISLAVS IV.

Hic gentilis erat Litauus, de ſtirpe Iagello,
Vir bonus, et tantas inter honeſtus opes.
Mox eſt coeleſti Princeps baptiſmate tinctus,
Quem ſubito eſt dominum gens imitata ſuum.
Hinc dotale capit, pulcra cum coniuge, Regnum,
Et tribuit Litauis ſigna Polona ſuis.
Rege ſub hoc, memorem ſuſcepit Pruſſia cladem,
Saepius et rigidus concidit enſe Getes.
Quam multa in Regno ſtruxit delubra Polono,
Monſtrat Gymnaſium ſat puto, Craca, tuum.

Et linquens gnatos, ex iusta coniuge natos,
  Lucida fulgentis scandit ad astra poli.

VLADISLAVS V.

Ladislae, tibi regale Polonia sceptrum
  Contulit, ob proprii splendida facta patris.
Hinc quoque et Vngaricus defert diadema Senatus,
  Et quae sunt lati iugera multa soli.
Egregia vero tu praeditus indole regnas,
  Ac regis imperio subdita regna tuo.
Nec piguit Macedum fines vastare remotos,
  Nominis vt fieret gloria nota tui.
Donec inire petit tecum trux foedera Turca;
  Quod facis: at Latius frangere Papa iubet.
Cui tu dum pares, te ad Varnam Marte paludem
  Fudit Amurates, et tua castra capit.

CASIMIRVS IV.

Post fratrem, Casimirus adest, quem Turca peremit,
  Sarmaticas iustus qui regit vltor opes.
Eripit et captas Marianis fratribus vrbes,
  Aethera terribili discutiente modo.
Hoc duce, sacrifici magnas sensere repulsas,
  Hic vbi Castaliam Vistula voluit aquam.
Hinc repetit Mariae non vi, sed munere, castrum,
  Prussiaci quod tunc incoluere Duces.
Hunc quoque Choinitium, multis licet inde peremtis,
  Sensit, et illius quae ditionis erant.
Ducentem reliquae felicia tempora vitae,
  Fata grauem nobis eripuere ducem.

IOAN-

IOANNES ALBERTVS.

Ducis, Ioannes Alberte, binominis, agmen
Sarmaticum, matre id perficiente tua.
Inſtaurasque nouo, ſed fruſtra, Marte tumultum,
Vlturus patrui funera moeſta ſui.
Nam Dacus variat, primo quod dixerat ore,
Te, contra Turcam, velle iuuare ferum.
Inſtruit horrendos, te contra, perfidus hoſtes,
Et fudit populos, Marte iuuante, tuos:
Vnde nemus noſtris patuli memorabile fagi,
Dum ſol, ſidereo tramite, currit, erit.
Sic igitur multis non fauſtis obrutus actis
Te rapuit iuuenem Parca ſeuera Ducem.

ALEXANDER.

Multa laborati hoc recinunt, de Rege, libelli,
Quam duri promtus Martis ad arma fuit.
Nil illum morbi, nil frigora ſaeua mouebant,
Vt non inceptum perficeretur opus.
Saepius inſano compreſſit Iazygas arcu,
Et dedit horrendae millia multa neci.
Indigna vlciſcens ſaeui periuria Moſci,
Illius conſtans abſtulit vltor opes.
Nec tantum bello ſtuduit: ſed, legibus aequis,
Subiectam patiens eſt moderatus humum.
Illa Ducis laus eſt certo veriſſima magni,
Qui ſacra, qui iuſtum, cum pietate, colit.

SIGISMVNDVS.

Quum iuraret atrox deuicto Glinſcius hoſte
Suſpectam, pulſa ſuſpicione, fidem.

Qui caperet Regni, post mortem fratris, habenas,
Tota Sigismundum terra Polona cupit.
Hoc, quia Magnatum tunc nemo tenacior aequi,
Maior consiliis, et pietate, foret.
Dos Regum decorabat eum, clementia, solus,
Deque Iagellona stirpe, superstes erat.
Prostrauit, fretum numeroso milite, Moscum,
Millia quo bello bis cecidere decem.
Quantus amor populoque suo, externisque Monarchis,
Tantus erat Turcis, et tibi, Teuto, tremor.

VITARVM POLONORVM PRINCIPVM FINIS.

VITAE ARCHI-EPISCOPORVM GNESNENSIVM.

Ad Gnesnam.

Accipe Pontificum vitas, et gesta, tuorum,
Dicere qua licuit, sub breuitate, mihi.
Scripsimus haec Cricii mandatis: illius vnum
Hoc, in maiores, est pietatis opus.

I.

Villibalinus Gallus.

Primus Gnesna tuum conuersa vocauit Ouile
Gallus in innocuum Villibalinus iter.
Nobilitate patrum clarus, virtute sed ipsa
Clarior, et sancti dotibus ingenii.

Adsumtus 966. *Mortuus* 970. *Gnesnae sepultus.*

II. *Hatto,*

II.

Hatto, ſeu Hanno, Italus.

Hatto ſenex, Latiae celebri de gente Columnae,
Sarmatico coeptam firmat in orbe fidem.
Subruit innumeras haec vna columna columnas,
Ignibus antiquos corripuitque Deos.

Adſumtus 970. *Mortuus* 971. *in Decembre, Gneſnae ſepultus.*

III.

Robertus, Italus.

Auſonius patria, ſacri, pariterque profani,
Mirandus ſtudii laude Robertus erat.
Comis in alloquio, facilis venientibus, vno
Durus, quod nequiit verba Polona loqui.

Adſumtus 971. *Mortuus* 995.

IV.

S. Adalbertus, Bohemus.

Qualis Adalbertus fuerit, quid, Gneſna, requiris?
Nonne vides ſancti buſta beata viri?
Quis facit haec viuus, facit hic quae mortuus? aut quis
Nunc feret ob Dominum, quae tulit ille, ſuum?

Adſumtus 996. *Occiſus* 999. *Nono Calend. Maii.*

V.

Gaudentius, Bohemus.

Ceſſit Adalbertus, frater Gaudentius orbum
Suſcepit, viuo fratre iubente, gregem.
Germano ſimilis, ſimilis ſolet eſſe colore,
Ex vno fuerit quae roſa nata rubo.

Suffectus 999. *Mortuus* 1006. *Gneſnae ſepultus.*

VI.

Hippolytus, Italus.

Moribus Hippolytus fuerat, nisi nomen haberet
Hippolyti, rarae fama pudicitiae.
Roma parens illi, veneranda modestia nutrix,
Cura, salus stabuli, commoditasque, sui.

Adsumtus 1006. *Mortuus* 1027. *Gnesnae sepultus.*

VII.

Bosuta, Polonus.

Munificus largitor opum, miserosque iuuare
Impiger, et cleri poena, sed aequa, fuit.
Compatiens patriae, qualem decet esse Polonum,
Cui dolor, et lacrimae, caussa fuere necis.

Adsumtus 1027. *Mortuus* 1038. *Gnesnae sepultus.*

VIII.

Stephanus, Polonus.

Fatidicos Stephanus patrio Pythonas ab orbe
Depulit, antiqui priscaque festa Iouis.
Tunc periit Phoebe, periit cum Castore Pollux,
Relliquiae veteris, numina vana, mali.

Adsumtus 1038. *Mortuus* 1058. 7 *Martii Gnesnae sepultus.*

IX.

Petrus I. Polonus.

O! ego si vellem rabidum monuisse tyrannum,
Stanislae, tibi praemia praeriperem.
Sed quia lentus eram, mentisque ad magna pusillae,
Barbarico timui Regis ab ense mori.

Adsumtus 1058. *Mortuus* 1092. *Gnesnae sepultus.*

X. *Mar-*

X.
Martinus I. Polonus.

Pomeranorum nisi se subduceret irae,
Hic caderet saeua, captus ab hoste, manu.
Poena malos diuina viros tamen inde sequuta est:
Fortia, pro iustis, nam gerit arma Deus.
Adsumtus 1092. *Mortuus* 1118. *Gnesnae sepultus.*

XI.
Iacobus I. Snenensis Polonus.

Snena patrem, probitas summum tibi tradit honorem,
Obscuro quamuis sub Lare natus eras.
Non, Iacobe, feri metuisti castra Poloni,
Quum premeret fratres obsidione suos.
Adsumtus 1120. *Mortuus* 1148. *Gnesnae sepultus.*

XII.
Ianislaus I. Polonus.

Hic minuit census, quos nuper adauxerat illi
Praecessor, sancta perditione tamen.
Multa dedit templis, sed plus, quod struxerat ipse,
Coenobio, magnae relligionis opus.
Adsumtus 1148. *Mortuus* 1165. *Gnesnae sepultus.*

XIII.
Petrus II. Polonus.

Non alia Petrus licet esset laude, proborum,
Laus magna est, quoniam summus amator erat,
Talis et ipse fuit, quales complexus amore est;
Namque sibi similem mitis et agnus amat.
Adsumtus 1166. Mortuus 1182. 13. *Calend. Sext.*
Gnesnae sepultus.

XIV.

XIV.

Scislaus, Polonus.

Aedificans pagos, complens deserta colonis,
  Scislaus templi congeminauit opes.
Illius ante dies, Gnesnae fuit arcta supellex,
  Magnificam studio reddidit ille suo.

Adsumtus 1183. *Mortuus* 1199. *Gnesnae sepultus.*

XV.

Henricus Kietlicz, Dux Bregnensis.

Stirpe Ducum Henricus, Francisci ex ordine, tantae
  Compulsus tenuit qui sacra vela ratis.
Libertas, per eum, clero datur, vxor ademta est,
  Iusque noui factum spirituale fori.

Adsumtus 1200. *Mortuus* 1219. 22. *Martii Gnesnae sepultus.*

XVI.

Vincentius I. Polonus.

Quid dicam, de te, Vincenti? nescio, an illud?
  Quod trahis, e patria nobilitate, genus.
Nobilitas nihil est, si nuda sit, absque probato
  Pectore, vt, Astraeo de grege, natus equus.

Adsumtus 1220. *Mortuus* 1233. *Gnesnae sepultus.*

XVII.

Fulco, seu Pelka, Polonus.

Fulconis studio, te qui tellure leuauit,
  Stanislae, Deis redditus es Superis.
Officii pretium tuus annulus obtigit illi,
  Multaque praeterea corporis ossa tui.

Adsumtus 1234. *Mortuus* 1258. *die* 5. *Aprilis Gnesnae sepultus.*

XVIII. *Ia-*

XVIII.

Ianusius, Polonus.

Doctrina, virtute, potens Ianusius hic est,
Vnanimi ad tantum lectus ouile sono.
Esse putas qualem, cui cunctis posse placere
Contigit, et testes tot statuisse sui?

Adsumtus 1260. *Mortuus* 1272. 20. *Augusti Gnesnae sepultus.*

XIX.

Philippus, Polonus.

Sex annis electus eras: Romanus honorem
Impediit Praesul, moeste Philippe, tuum.
Heu! quot Gnesneae tunc sunt data damna cathedrae!
Quorum Nicoleos Tertius auctor erat.

Electus 1272. *Eiectus*, 1278.

XX.

Martinus II. Monachus, Polonus.

Munere Pontificis Monacho data Gnesna, sed illi,
Dum redit, infelix Felsina busta dedit.
Tam cito cur moreris, legum, iurisque, perite?
Non potes an Stygias vincere, iure, Deas?

Prouisus 1278. *Moritur* 1279. *Sepultus Bononiae, in Coenobio D. Castoris.*

XXI.

Vlostiborius, Polonus.

Vlostibori, quid agis? cur sic tibi vita modesta est?
Dignus es, et sacras pascere spernis oues?
Nicoleos caussa est, fuerat quae caussa Philippo,
Gaudeo, facta animi quod rata vota tui.

Electus 1279. *Deposuit* 1283.

XXII. *Ia-*

XXII.

Iacobus II. Siuinka, Polonus.

Succula pascit oues, pecudes pecus, et tamen esse
Caula, sub hoc, et non sub meliore, volet.
Gratia magna tibi, Pater o sanctissime: per te
Damna tulit, per te commoda Gnesna tulit.

Adsumtus 1283. *Mortuus* 1301. *Die* 4. *Martii Gnesnae sepultus.*

XXIII.

Borislaus, Polonus.

Commoda dum quaerens patriae versatur in aula,
Pontificis, curis obrutus occubuit.
Gallia, redde virum, patria dignissimus ille est;
Cur habet immeritum mortuus exilium?

Electus 1307. *Mortuus* 1311. *Vltima Iunii, Bononiae, in Coenobio D. Castoris, sepultus.*

XXIV.

Ianislaus II. Polonus.

Borislaus obit: Clemens, cape, dixit, Ouile,
Ianislae, tui cum titulis domini.
Excepit reducem patriae fauor, ob quod et illam
Ille vir innumeris extulit officiis.

Adsumtus 1312. *Mortuus* 1341. 3. *Cal. Nouemb. Gnesnae sepultus.*

XXV.

Iaroslaus Bogoria, Polonus.

Bogoriam lapides, muri, delubra, loquuntur,
Et quas, pro templis, ille reliquit opes.
Felix, qui potuit famam meruisse perennem:
Felix, quem populi, saxaque multa, sonant.

Adsumtus 1342. *dimisit* 1373. *Mortuus* 1376. *die* 16. *Septemb. Gnesnae sepultus.*

XXVI. *Io-*

XXVI.

Ioannes Suchywilk, Polonus.

Quid clerum, Suchywilce, premis furiosus in ira?
Cognatos tantum natus amare tuos?
Anne tibi mores concessit auunculus istos,
Concessit tanti quum tibi iura loci?

Adsumtus 1373. *Mortuus* 1382. *Die* 5. *Aprilis Gnesnae sepultus.*

XXVII.

Bodzanta, Polonus.

Tempore Bodzantae, Christi se fonte Iagello
Tingit, Lechiaci sceptra capitque soli.
Cetera si desint, erit hoc memorabilis vno,
Lituanis veram quod dedit esse fidem.

Adsumtus 1382. *Mortuus* 1389. 28. *Decembr. Gnesnae sepultus.*

XXVIII.

Ioannes II. Kropidlo, Dux Opoliensis.

Primus, apud Papam, mercatur templa Kropidlo,
Dux, et inexpletae flumen auaritiae.
Res male successit: misero detrusus honore est:
Qui peccat, vitio perditur ipse suo.

Obtinuit 1389. *Eiectus* 1394.

XXIX.

Dobrogostus, Polonus.

Non cupit, eligitur merito sed Regis amore,
Quum Posnaniacum rexerit ante gregem.
Vita modesta viro, quem non captauit, honorem
Adtulit: haec virtus praemia semper habet.

Adsumtus 1394. *Mortuus* 1402. 14. *Septembr. Gnesnae sepultus.*

XXX. *Ni-*

XXX.

Nicolaus I. Curouius, Polonus.

Flete, canes, aquilae, Curoui busta sepulti!
Flete ioci, Veneres, tympana, lucra, lyrae!
Vester erat totus; vos illi fata dedistis
Congrua, quum celeri labitur altus equo.

Adsumtus 1402. *Mortuus* 1411. *Die* 7. *Septembr. Gnesnae sepultus.*

XXXI.

Nicolaus II. Tramba, Primas Polonus.

Hunc fieri Papam voluit Constantia, rari,
Munifici, placidi, mota fauore viri.
Metropoles vno ille duas accepit in anno,
Dignus fortunae prosperitate suae.

Adsumtus 1411. *Mortuus* 1422. 4. *Decembris Gnesnae sepultus.*

XXXII.

Albertus II. Iastrzembiec, Polonus.

Hic erat accipiter factis, et nomine, iniquas
Congessit, variis quas rapiebat, opes.
Condit humi, effosas gula deuorat ampla nepotis:
Non bene, quae fuerit res male parta, perit.

Adsumtus 1423. *Mortuus* 1436. 1. *Septemb. Gnesnae sepultus.*

XXXIII.

Vincentius II. Cocus, Cardinalis, Polonus.

Effusus donator opum, sumtoque superbo,
A mensa stomachi languidioris erat.
Hunc noua Cardineo texit fortuna galero,
Sarmatico nulli quod dedit ante viro.

Adsumtus 1437. *Mortuus* 1448. 14. *Septembris Gnesnae sepultus.*

XXXIV. *Vla-*

XXXIV.

Vladislaus Oporouius, Polonus.

Patre Palatino ſatus eſt Oporouius, auro
Pinguis, at, in facie, praemacilentus erat.
Nec mirum: nam membra cibo refouere ſolebat
Exiguo, medias Tantalus inter aquas.

Adſumtus 1449. *Mortuus* 1453. 17. *Martii, in Coenobio Oporouienſi, ſepultus.*

XXXV.

Ioannes III. Sprouius, Polonus.

Sprouius antiquae laus, ſplendor, gloria, gentis,
Illa licet meritis ſplendida ſemper erat.
Qualis erat, quaeris? dicam, nec multa morabor,
Aequauit morum nobilitate genus.

Adſumtus 1453. *Mortuus* 1464. 14. *Aprilis, Gneſnae ſepultus.*

XXXVI.

Ioannes IV. Gruſcinius, Polonus.

Laſciuus, petulans, mollis, propenſus in omne
Gruſcinius vitium, nequitiamque, fuit.
Dum bibit ad ſacras, et cantat, nocte, lucernas,
Protinus incautum mors inopina rapit.

Adſumtur 1464. *Mortuus* 1472. 8. *Octobr. Gneſnae ſepultus.*

XXXVII.

Iacobus III. de Sienno, Polonus.

Vir pius, et patiens, non longam pronus ad iram,
Qui fortis varium pertulit imperium.
Struxit Adalberto, de marmore, Mauſoleum,
Dignus, qui tantum conderet vnus opes.

Adſumtus 1472. *Mortuus* 1488. *Gneſnae ſepultus.*

XXXVIII.

Sbignaeus Olesnicius, Polonus.

Magnanimus vindex patriae, pietatis asylum,
Pro grege qui gessit praelia iusta suo.
Huic similem fas est vobis sperare, Poloni?
Nunquam, Sbignaeum qui superabit, erit.

Adsumtus 1488. *Moritur* 1493., *Gnesnae sepultus.*

XXXIX.

Fridericus Cardinalis Regulus.

Paene mihi puero Cracouia, Gnesna, Galerus
Contigit: heu! vitae stamina parca meae.
Esse decet qualem, magno de Rege, creatum,
Caesareoque virum sanguine, talis eram.

Adsumtus 1493. *Mortuus* 1503. 14. *Martii Cracouiae sepultus.*

XXXX.

Andreas I. Rosa, Polonus.

Vna tot aestates vixit Rosa florida semper,
Et vernans, nullo tempore digna mori.
Cana quidem, sed grata tamen fuit omnibus illis,
Qui choreas, ludos, deliciasque, colunt.

Adsumtus 1503. *Mortuus* 1509. *Gnesnae sepultus.*

XXXXI.

Ioannes V. Lascius, Legatus Natus, Primas Polonus.

Relligionis amor, patriae pater, auctor honoris,
Gnesna, tui, castus, cum pietate, pudor.
Lascius, o! sanctae mors sancta simillima vitae:
Sic, o! si fas est, sunt mea vota mori.

Adsumtus 1510. *Mortuus* 1531. 19. *Maii, Gnesnae sepultus.*

XXXXII.

XXXXII.

Matthias Drzeuicius, Polonus.

Parcus eram forſan, vel ſic me fama vocabat,
Quae ſolet inſignes inſimulare viros.
Siue tamen fueram, cur ſim vitioſus in iſto?
Eſt virtus rebus parcere magna ſuis.

Adſumtus 1531. *Mortuus* 1535. *Gneſnae ſepultus.*

XXXXIII.

Andreas II. Cricius, Polonus.

Omnia ſolus erat Cricius, quem ſorsque, Deusque,
Certabant ſummis vincere muneribus.
Sors tandem indoluit, quod erat contemta ſub illo,
Maturumque virum ſuſtulit ante diem.

Adſumtus 1535. *Mortuus* 1537. *Cracouiae* 10. *Maii ipſo die Aſcenſionis Domini, hora* 17. *Gneſnae ſepultus, die Lunae* 8. *Iulii.*

Heu! quae reſtituent miſero mihi ſecula talem!

VITARVM ARCHI-EPISCOPORVM
GNESNENSIVM
FINIS.

EPIGRAMMATVM LIBER.

Ad libellum ſuum.

Aulae gratus eris fortaſſe, libelle, quod inde,
Ruſticus es quamuis, ipſe putare potes.
Vult longos cyathos, vult prandia longa, dapesque,
Aula: breues tunicas, et breue carmen, amat.

Pulex Iſabellae Regiae, Filiae.

Quid me tam ſtricta religas, Iſabella, catena?
Ne fugiam, ſi me ſolueris, anne times?
Non fugiam: teneor formae florentis amore:
Quis velit a manibus ſtultus abire tuis?

Ad quemdam.

Viuus adhuc, funebre petis tibi carmen: habebis.
Sed cito ſi fieri vis, moriare cito.

Ad pueros, trocho ludentes.

Vt trochus hic rapidos torquet velociter orbes:
Sic tempus, pueri, vitaque veſtra, ruit.
Sed trochus vt cecidit, repetito turbine ſurgit:
Tempora non ſurgunt, vt cecidere ſemel.

Ad Raph. Vargauium, amiciſſ. ſuum.

Damnum animae, damnum capitis, damnumque crumenae,
Dum nos inuitas, non leue paſſus heri es.
Trade animam monacho; medico caput, ambo iuuabis,
Atque iſto tolles mox duo damna modo.

Neſcio,

Nescio, damnum aeris qua sit ratione iuuandum,
Imo etiam, redimas vt duo, maius erit.
Vult nummos monachus, vult pharmacopola: quid, inquis?
Poenitet: hoc non est sat mihi, saccus ait.

In tumulo Thomae Rosnouii. C. Cr.

Stulte, quid insanis, fuluum qui congeris aurum?
Anne auro vinci fata superba putas?
Quidquid habes, effunde inopi, dum viuis: ab auro
Sic vinci iusti iudicis ira potest.

In imaginem Christi, in lapide sedentis.

Quid versas animo, saxo male fultus acuto,
Et nixus cubito, languide Christe, caput?
Nempe salutis opus, morienti vincula morti,
Et praedam Stygii, duraque regna, Dei.
Da, precor, haec eadem mediter, dum viuo, meumque
Dextra tua oppressum fulciat alma caput.

De corona rosacea, sibi missa.

Missa corona mihi est, mediae sub frigore brumae,
Candida, de vernis continuata rosis.
Sit quamuis gelida Cracouia nostra sub Arcto,
Vrbs etiam aestiuo frigida saepe die.
Floscule, dic, quibus es, dic, floscule, natus in hortis?
Num de Pestano es tam cito missus agro?
Ne mirere: suo nunc me Elsula iussit in horto
Florere: est vernus, qua venit illa, dies.

Huic formae fera seruit hiems, huic sidera, et aër:
Arbitrio mutas, Elsula, cuncta tuo.
Quando tibi parent, sine sensu, elementa, Deique,
Quid mirum, imperio si rotor ipse tuo?

De corona pinea.

Quae nuper roseam dederas mihi laeta coronam,
Cur nunc misisti pinea serta mihi?
Numquid vis, a te spinis vt pellar acutis?
Et tuus est, ad me, debilitatus amor?
An potius viridem fieri vis semper amorem,
Quem fortuna queat laedere nulla meum?
Quem sortis non mutet hiems, mala nulla fatigent,
Multaque amatori damna ferenda viro?
Hoc erat, hoc illud: faciam, per signa quod optas;
Vt nolim, formae cogor honore tuae.
Semper erit viridis meus hic amor, aethera testor;
Haec tua si facies, florida semper erit.

In morte Georgii, fidicinis Regii.

Orphea cantantem, sub nigri moenibus Orci,
Ad superas Pluto iussit abire domos.
Vt semel ingrata rapuit te morte, Georgi,
Non vult te Regi reddere Sarmatico.
Dulcior est illi lyra nam tua, quam fuit Orphei,
Qua nosti et tristes exhilarare Deos.
At quia non licuit nobis te semper habere
Atque audire tuam, tempus in omne, chelyn;

Tem-

Tempore poſt paruo, cuncti tua plectra ſequemur,
Elyſiis choreas et repetemus agris.

In Nummicum.

Cur tibi non placeo? placuit nemo omnibus vnquam,
Nummice, qui placeas omnibus, vnus homo es.
Inde fauent omnes (Dii tam pia, quaeſo, ſecundent
Vota,) tibi furcam, Nummice, ſiue crucem.

In ſtemma Rauitarum.

Virgo trucis dorſo formoſa ſuperuehor vrſi,
Nec timeo ſaeuae murmura ſaeua ferae.
Magnanimae ſum ſtemma domus, generoſaque magni
Pars generis, facto nobilitata meo,
Quales eſſe viros, noſtra de gente, putabis,
Paruula ſi virgo ſic animoſa fui?

D. Ioh. Antonino, Medico.

Iam meus ad primam tandem, Antonine, ſalutem
Eſt Phoebus, Phoebi redditus arte tui.
Debeo magna tibi, nequeo dare magna, ſed ipſum,
Totus vt eſt, totum do tibi Ianitium.
Noſter Apollo tuo ſemper cantabit, et illi
Cum rauca in tempus ſeruiet omne lyra.

In imaginem latronis dextri.

Vox dedit vna mihi vitam, poſt peſſima vitae
Tempora, quis dubitet de bonitate Dei?

In imaginem Zachaei.

Accipite hoſpitio Chriſtum, qui mole iacetis
In ſcelerum: errantes quaerere venit oues.

In imaginem Mathaei, Euangeliſtae.

Publicus exactor, Chriſto accerſente, reliqui
Omnia: ſic facito, qui meliora cupis.

In imaginem Petri, Apoſtoli.

Clauiger en! ego ſum illius, quem noſſe negaram,
Omne nefas veris abluitur lacrimis.

In imaginem Pauli, Apoſtoli.

Dum lucem oppugno, lux me diuina vocauit
Ad lucem, cuius gentibus auctor eram.

In imaginem Mariae Magdalenae.

Flagitiis iacui multos immerſa per annos:
Abſtulit illa dolor, fletus, amorque, mihi.

In imaginem Longini militis.

Transfixi Dominum, viſumque, fidemque, recepi;
Crudelem, o bonitas! profuit eſſe mihi.

De innocentia.

Inſontes ſaepe inſimulat vis falſa malorum,
Tentat et innocuum frangere poſſe caput.

Dumque

Dumque ſuo ſcelere exultat, cadit ipſa, peritque,
Vindicat innocuos, clarificatque, Deus.
Teſtis erit Daniel, proiectus in antra leonum:
Teſtis erit falſos vlta Suſanna viros.
Fidite virtuti, nunquam quae mergitur imo
Gurgite, iactetur naufraga ſaepe licet.

Coturnices, quas amicae dono mittit.

O nos felices! quamuis ſint mortua nobis
Corpora, formoſae quum ferimur dominae.
Fas erit ergo manu, niue candidiore, teneri,
Laudarique tuis, *Elſula*, blanditiis.
Fas erit illa, in ſe, conuertere lumina, ſummam
Nata in Ianitii, lumina, perniciem.
Ergo, quod cuperet viuentum turba virorum
Plurima, id occiſis contigit alitibus.
O! poteras nobis auceps eludere vitam
Iamdudum, ſi mors talis habenda fuit.

In imaginem Penelopes.

Bis duo Penelope per luſtra, abſente marito,
Manſit in aſſiduis inuiolata procis.
Quum vir abeſt, etiam noſtrae plerumque maritae
Cum magna viuunt relligione domi.
Vtque magis ſanctae maneant, neu, daemonis aſtu,
Tententur, monachos nocte tenere ſolent.

Sacerdotis Poloni cuiusdam dictum.

Quam male quod nobis vxores, Praeſul ademit
Henricus, iuſſis, dure Calixte, tuis.
Vnius in lectum plures ego duco maritas:
Creuit onus; tantus non fuit ante labor.

In Nummicum.

Quod tibi nunc adflat facilis fortuna, tumeſcis,
Et, prae te, dicis, quemlibet eſſe nihil.
Inſultaſque bonis, tenues contemnis, et vrges,
Heu! miſer, heu! ſortis non memor ipſe tuae.
Non ſemper, quod es, illud eris, ventura memento,
Nec ſemper, quod ego ſum modo, forſan ero.

Ad Andream Cricium, Archipraeſulem.

Pollio Vergilio quod erat, Meſſala Tibullo,
Maecenas Flacco, tu mihi, magne Crici, es.
Sed tamen iis tantum praeſtas, pietate, Camenis,
Quantum illi praeſtant, ingenioque, mihi.

De Cricio, Cracouiam eunte.

Carpit iter Cricius, primae ſub tempore brumae,
Pro niuibus, vernos dat pia Iuno dies.
Graminis obliti longo comitantur euntem
Agmine barbigeri turba miniſtra capri.
Ruſtica gens profugas ſequitur iam feſſa cateruas,
Nolunt attoniti terga referre greges.

Quis

Quis neget hoc omen felix tibi, maxime Praeſul,
Quum tibi ſic coelum, ſic faueatque pecus?

De eodem omine, poſt mortem Cricii.

Vanus eram interpres, proh! fata ſiniſtra, Deique!
Proh! mala cum veſtris omina iudiciis!
Ad Craci infauſtam Cricius proficiſcitur vrbem,
Caprigenum ſequitur Praeſulis ora pecus.
Dum licet, vt viſum ſaltem ſatiaret in illo,
Nunquam illhac viuus nam rediturus erat.

De morte Cricii, ſub bellum Leopolita.

Pacis amans Cricius quum ſurgere bella videret,
Pace ſimul voluit cum moriente mori.

De ſeipſo, poſt mortem Cricii.

Aruit heu! campus Cricii, quem noſtra colebat,
Calliope, fructu iam viduata ſuo.
Nauigat in Cmitae fluuio, laeta aura faueto,
Deducasque meam, per vada tuta, ratem.
Quas habui, in campo, meſſes, has quaero per vndam,
Si faueat dominus fluminis, inueniam.

Pro Cmitae Stemmate.

Vnda, perennis eas, creſcentibus auctior vndis,
Et nunquam glacie te mala claudat hiems.

A. Cromerus C. Ianitio.

Qui venator eras, nunc iam piſcator, auere
Te iubeo, ſaluum grator adeſſe ſimul.
Quid tibi plus ſapiat, piſceſne, feraene, doceto
Me, rogo, quid te plus, gramen, an vnda, iuuet?
Anne vtrumque facis nihili, neutrumque requiris,
Nec te delectant gramina, ſed nec aquae?
Sed maius quiddam ſectatus, in aequore campi,
Nunc et, in aurifero flumine, quaeris idem?
Cepiſtine? tuis, vtinam! conatibus adſit
Delia, quo votis iam potiare tuis.
Sum lapſus verbo: cupio fluuialis vt adſit,
Proſperet et Nais candida coepta tibi.

C. Ianitius A. Cromero.

Quid mihi plus ſapiat, piſceſne, feraene, requiris?
Plus an equum capiat gramen, an vnda, meum?
Vna, Cromere, mihi eſt eademque, in vtroque, voluptas,
Quod iuuet, et profit, campus, et amnis, habet.
Sed noſter ſonipes viridis nunc gramina ripae
Carpit, ſanguineo vixit at ante cibo.
Saepius et forſan campo ſitiebat in illo;
Nunc pleni dulcem fluminis haurit aquam.
Crux erat in campo, crux aurea ſeruat et amnem:
Quis ſacra ambo et idem numen habere neget?
Quod ſi, per campum, lepores, ſegetesque, legebam,
Aurum at, in hoc fluuio, forſitan eſſe poteſt.

Vos

Vos modo, vos placidae faueatis Naides, vndam
  Hanc mihi ne glacie frigida claudat hiems.

In citharam cuiusdam amici.

Viua fui in filuis, fum magna occifa fecuri,
  Dum vixi, tacui: mortua dulce cano.

Ad Sta. Lafcum militem, morbum Bubonum fibi laudantem.

Quas habeat Bubo laudes, ego nefcio: nam me
  Indignis cruciat, nocte, dieque, modis.
Hoc puto laudandus, quia me, poft damna, docebit,
  Quod malus effe folet non pretiofus ager.

Amo.

Tres me litterulae perdunt, redduntque faluti:
  Heu! vox cur tantum paruula iuris habes?

A. Cromero.

Grata mihi nimium tua fcripta, Cromere, fuiffent,
  Sed nimia in laudes funt nimis illa meas.
Iam philomela vocor, iam cygnus; fi modo laus eft,
  Ex hominis quae me corpore fecit auem.

In Smolum.

Ille, decus capuli, facies Acherontica, Smolus,
  Qui Phlegetontaeae forde paludis olet.
Multo habet Hungaricos plures quam vertice crines;
  Nec mirum: hac tantas arte parauit opes.

Nil

Nil proprii comedit, nec emit, nil donat amico,
Nil famulo, nullum credere vult obolum.
Non felem, non ille canem, non pafcere murem,
Non mufcam, tanta eft forditate, folet.
An dederit quidquam, pro nocte, rogatus amicae?
Nil opus eft caprae nec dare, dixit, equae.

In imaginem Crucifixi, quam quidam, in patris fui tumulo, ftatuerat.

Haec tibi fancta tuus pofui, pater optime, natus
Anxius, et multis munera cum lacrimis.
Marmore non Pario ftructam, non aere, columnam,
Vana nec excelfae pegmata Pyramidos.
Sed lignum vitale crucis, quo fracta tyranni
Diripuit Stygii ferrea regna Deus.
Graffantem victor mortem dum morte peremit,
Et mifero vinctos carcere foluit auos.
Adfpice, quo pretio tua vita redemta, viator:
Vendetur vitiis rarius illa tuis.

Aenigma.

Mater me peperit, genui prior ipfe fed illam,
Filius eiusdem quis fuit, atque pater?

Solutio.

Carmen Habes: Res Ipfa Subit, Trina, Vna, Suprema.

Quere-

Querela capellae, ex Graeco.
In ingratos.

Heu! quo me ſtolidi vis vpilionis adegit?
De proprio paruum nutrio lacte lupum.
Creſcet: ero ingrati nutrix ego praeda: malignam
Vincere naturam gratia nulla poteſt.

Ad amiciſſ. ſuum quendam.

Salſus es in ſcriptis, in dictis ſalſus, in ipſa
Adponis menſa fercula ſalſa mihi.
Dignus eras, vt Rex ſalſum adſignaret ouile,
Quod certe optabam, Velicienſe tibi.

Sub nomine Alb. St. Amici.

Felix, qui placitum nunquam mutauit amorem,
Ad moeſti ſummam funeris vsque diem.
At mihi dura Venus varios dat, et eripit, ignes,
Et me multiplici turbine ſemper agit.
Hoc etiam, hoc ipſo ter me verſauit in anno,
Ter mihi ſollicitas ſuppoſuitque faces.
Primus amor reducem Latiis excepit ab oris,
Non multo cuius tempore ſeruus eram.
Alter enim inuaſit, telo grauiore, Cupido,
Soluit et a primo mox mea colla iugo.
Sorte tamen parili: namque illi, vt et ipſe priori
Hoſtis erat, talis tertius hoſtis erat.
Tertius heu! nimium ſaeuo mihi cognitus arcu,
In me qui regnum tranſtulit omne ſuum.

Vrit,

Vrit, agit, torquet, cruciat, dementat, et aufert
  Me mihi, dat, quum vult, viuere, datque mori.
O nimium truculenta puer, ſed amabilis idem!
  Ob quem vita grauis ſit mihi, morsque leuis.
Quid me de patria es, per tot ſpatioſa, ſecutus
  Interualla meae, totque pericla, viae?
Nec tibi durus erat ſummas adſcenſus in Alpes,
  Vitam in quo validus ſaepe reliquit equus.
Nunc ſcio, cur celeres Helicon tibi tradidit alas;
  Nunc ſcio, cur agiles fecit habere pedes.
Sis tamen hic mecum, mecum, veſane, redibis,
  Quum reddes dominae meque, fidemque, meae.
Tunc ala celeri, magnoque vtare volatu,
  Tunc adhibe pennas et mihi, quaeſo, tuas.

De vrbe Venetiarum.

Si tot in hac videas proſtantes vrbe puellas,
  Ex iſto, dices, eſt Venus orta mari.

Ad Alb. Bogutium.

Stemma tibi eſt vrſus, veſtiris pelle lupina,
  Et te nil melius, mitius eſſe poteſt.
Vis ſimulare habitu, tibi quod natura negauit,
  Certe, in te, feritas non habet vlla locum.
Quam melius gereres agnum pro tegmine, et armis,
  Sed non caſtratum, quod tua facta probant.

In

In funere Annae Gorcanae, Petri Cmitae coniugis.

Dicite, Cmitarum manes, quis luctus in alta
Vos requie, qualis corripuitque dolor?
Quum, veſtros inter cineres, tumulanda veniret
Gorcana, et veſtro contegeretur humo.
Credo ego, vos illi diuturnae tempora vitae
Fauiſſe, et fati proſperioris iter.
Sola fuit certe, ſi Diis viſum eſſet id ipſum,
Digna noua veſtram prole iuuare domum.
Femina, quam natura parens abſoluerat, et cui,
Quas potuit, totas accumularat opes.
Ingenio valuit, mala robore paene virili
Fata tulit, longos iis agitata dies.
In ſummis opibus, natis, eſt poena, carere;
Huic graue nil, quidquid Diis placuiſſet, erat.
Corporis o! quantis vexata doloribus, et quot;
Tum iter eſt, nullo tempore, viſa queri.
Tota animo vir erat, corpus muliebre, venuſtas,
Geſtus, et eloquium, gratia, forma, lepos.
Forma minor laus eſt; ſed eam Anna ornarat, (et haec ſunt
Rara ſimul,) ſummae laude pudicitiae.
Mors, quae ſit citior ſemper melioribus, illam
Exemplum nuptis noluit eſſe diu.

Epitaphium eiusdem.

Vixi caſta: virum colui: quaecunque marita
Plus faciat, faciat plus ea, quam ſit opus.

Epitaphium Andr. Phalceuii, Pataui.

Ceruicem mihi fregit equus, dum ludo: ſodales
Hunc cineri tumulum compoſuere meo.
At vobis, vel ob hoc meritum, dent fata reuerti
Omnibus in patriam, quod vetuere mihi.

Ad Danielem Barbarum, Venetum.

Lecta mihi tua ſunt multo lepidiſſima nuper
Carmina, Patricia, Barbare, nate domo.
Illa, quibus nullam nunc gratis amare puellam,
Et quereris noctes vendere quamque ſuas:
Quodque Cupidineis feriatur nulla ſagittis,
Adfirmas, nullis ardeat inque viris.
At mihi, parce queri, contraria cuncta videntur,
Iudicio tamen haec trado probanda tuo.
Nunc mihi, nunc verus nimium regnare Cupido,
Et vere ardenti cernitur eſſe face.
Nam cupiunt omnes, tecum tua cuncta puellae
In gremio penitus condere poſſe ſuo.
Tantus ineſt illis ardos, quo praedia, et aurum,
Cumque bona totae mente cremantur opes.
Tempore Saturni, cupiebat femina tantum
Noctis opus, praeter deliciasque nihil.
Nam minor ardor erat longe, minor atque Cupido,
Hinc quoque tunc ſimplex dictus et eſſe puer.
Si mutare tamen liceat maiore minorem,
Ad nos ille, precor, parue Cupido, redi.

De

De amore suo, in Dulcium, mutuo.

Pirithoe, et Theseu! quorum celeberrimus omnes
Impleuit terras, et stupefecit, amor.
Dulcius, et *Clemens*, vobiscum inuadere pugnam
De primo laudis constituere loco.
Mira fides est vestra quidem, sed fine sub ipso,
Parcite, non qualis debuit esse fuit.
Iuistis, Stygiam vt dominam raperetis, et alter
Aufugit, nigra est obrutus alter aqua.
Nos simul et vitam iurauimus esse per omnem,
Morte simul, si sors sic volet vlla, rapi.
Quamuis, ne qua suum tangat mors Thesea, vellet
Pirithous Clemens bis quoque posse mori.

Laurus Ianitii loquitur.

Ianitii laurus de Petri enata beatis
Rupibus, irriguae flumine tingor aquae.
Non aestus igitur timeo, aut mala flamina, quum sim
In tam securi commoditate loci.
O tantum seruate Dei saxum istud, et amnem!
Crescam ego, et in viridi cortice semper ero.

Ad Petrum Cmitam.

Multa quidem in Bembi Patauinis vidimus hortis,
Vix alio cerni quae puto posse loco.
Sed me praecipue delectauere virentes
Lauri, dimensis turba locata locis.

 Aequis

Aequis verticibus, ramis, et frondibus aequis,
  Vna aetas, facies omnibus vna fuit.
Bruma propinquabat, Bembus decliue parari
  Desuper, e iuncis, praecipiebat opus:
Sub quo nec pluuias, Boreae nec flabra, timerent,
  Sit quamuis illis mitior ille locis:
Indigena est nobis, hic totas colligit iras,
  Hic premit imperio cuncta, rapitque, suo.
Non igitur poterit laurus, quam primus, ad Arcton,
  Ipse tuli, in tanto viuere nostra gelu.
Nam nuda, et tenera, est, infirmaque viribus, et quam,
  A Latio, longum debilitauit iter.
Succumbet pluuiis, niuibus, ventisque, cadenti,
  Cmita, imploratam ni properabis opem.
Frigora, quando voles, non tantum arcere, sed illi
  Aestas in media tu potes esse niue.

Epitaphium vxoris Nic. Zitti.

Morte minus moueor: moueor, carissime coniux,
  Quod sum moeroris sic ego caussa tibi.
Sed quid agis? lacrimas mors ferrea ridet inanes,
  Tangit et inuictam nulla querela Deam.
Pignora nonne tibi moriens bis quina relinquo?
  Soletur luctus turba relicta tuos.
Et tibi sit curae, partes vtriusque parentis,
  Quando mei abripior parte laboris, agas.
Et quoties aliquam natarum adspexeris, ore
  Quae me forte refert, admoneare mei.

Sic

Sic tibi Parca addat, nobis quos abſcidit annos,
Sic ad me venias, non niſi ſerus, iter.

Epitaphium Chriſtoph. Biſcupii.

Ebria me necat enſe manus, quod ad ebria nollem
Pocula, ſub noctem, dum vocor, ire comes.
Heu! noſtrae mores patriae, quos inter, vt optet,
Non impune aliquis ſobrius eſſe poteſt.
Ebrietas dat amicitias, dat nomen, honores,
Cumque opibus, titulos: qui ſapis, ergo bibe.

Nauis Lucae Gorcani Praeſulis, ex Palatino.

In duplici patriae pelago, iactata procellis
Innumeris, Luca remige tuta feror.
Non Scyllas ego, non ventos, non ſaxa timebo
Vlla, gubernator dum mihi talis erit.

Ad Nauem Lucae.

Accipe ſacra ratis patriam, grauis imminet Eurus
Nunc illi, portum deſpice, fluctus adeſt.
Si tenebrae inuoluent aliis iter, accipe lucem
A Luca, et recta praegrediare via.

Ad Lucam Epiſcopum.

Conſcripſit Lucas, Chriſtus quae, e naue, docebat,
Et Romae praeſul nauita primus erat.
Ipſe doces, Gorcane, es Lucas, praeſul, et idem
Nauita: conueniunt nomen, et arma, tibi.

Epitaphium Io. Cimermani, Consul. Cracou.

Hic Antonini situs est socer, et pater idem
 Tectandri, a claris clarus vtrinque viris.
Consul erat: quid adhuc quaeris, qui, nomine tantum,
 Consul es? hic totus, nil nisi consul, erat.

Ad Petrum Cmitam.

Visnicium o! flumen, sub Craci moenia magnis
 Intrasti, dextro Numine, cum pluuiis.
Ire salutatum te vellem, sed meus hydrops
 Quasuis, natura est haec sua, vitat aquas.
Quantumcunque volet, vitet: tamen improbus vndae
 Viribus occumbet, subsidioque, tuae.

Epitaphium Alexandri Orichouii.

Si latis est, mores hominum vidisse, vel vrbes,
 Multorum, hac certe laude ego primus ero.
Natus in Europa, peragraui multa remotae
 Regna Asiae, et populos, Africa terra, tuos.
Ergo viae adsuetus iuuenis, iam canus amicos
 Deserui, longum sumque profectus iter.
Nec remeabo, tubae donec clangore citatus
 Iudicis ad magni triste tribunal ero.

Epit. Catharinae, Vedelicii Coniugis.

Effugi turbas, lites, technasque meorum,
 Et requiesco sub hac, munere mortis, humo.

Aequior

Aequior ergo mihi eſt cognatis Parca: quietem
Turbabant illi ſemper, at illa dedit.
Tali, quaeſo, animo mea fer, cariſſime coniux,
Funera, ego quali tempora noſtra tuli.
Iam tibi cuncta, noua cum coniuge, laeta redibunt,
Quae te, quantum, a me, es ſemper amatus, amet.

In inſigne Rolitarum.

Stirps mihi, ab agricola, eſt, qui ſe virtute ſub auras
Extulit, e rigidis, vt roſa verna, rubis.

Ad Petrum Cmitam.

Cmita, venis aliis, mihi non: ades omnibus, abſens
Es mihi, quum prope ſis corpore, amore procul.
Offenſum te cerno mihi, ſed neſcio, tanto
Quid dederit cauſam, materiamque, malo.
Deliqui fortaſſe aliquid; ſed maxima multis
Qui donas toties crimina, parce mihi.
Parce, precor: ſatis eſt, quod fatis vexor iniquis,
Vulnera vulneribus plura nec adde meis.
Quod Deus ignoſcit, miſeretur, ſubleuat, auget,
Vna praecipue eſt hac ratione Deus.
Quem ſequere; idque facis; tuus hic generoſus ab illo
Oſtenſam didicit ſpiritus ire viam.

Ad D. Io. Antoninum.

Antonine, vir es ſapiens, qui viuus, et omni
Parte valens, ſummum ſcis meminiſſe diem.

Iuſſiſti: do tibi carmen funebre, ſed illo
O! tibi, et ante decem ſecula, ne ſit opus.

Epit. Io. Antonini, inſignis medici.

Dum medeor multis, ſuccumbo laboribus, hancque
Sic reperi requiem: cura, laborque, vale!

Epit. Georgii Semſei, Hungari.

Hungara me tellus genuit, Lachaea ſepulcrum,
Perquam opportuno tempore, terra dedit.
Non vidi excidium patriae, Turcaeque natantes,
Ferdinande, tuae ſanguine gentis equos.
Sorte mea felix: quid me defletis, amici?
Patria perpetuo, quod lacrimetis, habet.

Epit. parentum Stan. Aquilae, Militis Hieroſ.

Filius hic poſui fictos, ex aere, parentes,
Hoc vnum potui quod pietatis opus.
Si viui, per me, poſſent a morte reduci,
Sic iuuenis vellem nunc quoque paene mori.
Munus enim illorum vita eſt mea: qui niſi vitam
Vixiſſent, vitam non habiturus eram.

Aliud.

Condidit haec Aquilas Aquila in tellure parentes,
Anſeris haud raptans terga, ſed ora Getae.
Quod genitor, materque, dedit ſibi, reddet vtrique
Hic olim, reddet cetera quando Deo.

In

In orationem Io. Chryſoſtomi,
de diuitiis, et paupertate.

Paupertatem fruſtra laudas, Chryſoſtome, noſtro
Tempore, quum ſolas vulgus adorat opes.
Diceris ſtolidus, diceris ſordidus, vni
Vis homini famulos qui ſatis eſſe duos.
Addere debueras aliis praeeuntia longe
Agmina, equos, currus, tympana, ſcorta, coquos.

In quodam Pharmacopolio.

Morborum hic habitant hoſtes: mors atra, caueto,
Multa hic, te contra, continet arma locus.
Quid loquor? ah! nullis hominum tu vinceris armis,
Irridesque meas inſidioſa minas.

In imaginem Andr. Zitti, Naramonii.

Si ſic, vt facies, poſſet probitatis imago
Atque animi pingi, Zitte, colore tui.
Staret vt in media, vellem, vrbe, vt poſſet ab illa
Exemplum vitae ſumere quisque ſibi.

In ſomnum pomeridianum, ob necem fratris.

Heu! media dormire die mihi ſemper amarum,
Res ſemper capiti pernicioſa meo.
Nunc tamen ah! miſero longe atrociſſima, quum mi
Nunciat a certo littera miſſa viro,
Occiſum fratrem, media dum luce quieſcit
In ſole a ſumto, vere tepente, cibo.

Et quamuis facto captus percussor in ipso,
Quattuor in partes, membra secanda dedit;
Non tamen hoc satis est, nostrum lenire dolorem:
Germanus nobis vnicus iste fuit.
Amplius o! cur te, mea magna Polonia, visam?
Nam quid habes, ad te, quo trahar? ergo vale!
Paene simul patremque mihi, fratremque, necasti;
Est mater lacrimis sola relicta meis.
Hanc etiam sepeli, facitoque, vt nemo supersit,
Qui possit mortis tempora flere meae.

Ad Hieron. Spicinium, Consul. Cracou.

Ad tua vis vt eam, Spicini, praedia tecum;
Parebo, certa conditione tamen.
Sint, volo, nobiscum Musae, nascuntur in vrbe
Quae nostra: vna tibi sit comes, vna mihi.
Namque nouem, ex Helicone, illas tractare vir vnus,
Praecipue aegrotus, qua ratione potest?

Epitaphium Floriani Vnglerii.

Vnglerius iacet hic, Aldina nobilis arte,
Cosmographus rarus, rarus et Astrologus.
Calcographus nisi sit doctus, dignissimus omni est
Supplicio, egregium quod male tractat opus.
Et solum sequitur quaestum: quum quaestus, ab arte
Qualibet, ingenua debeat esse procul.

Sibi.

Sibi.

Spe vacuus, vacuusque metu, cubo mole ſub iſta,
Et vere viuo: mortua vita vale!

EPIGRAMMATVM FINIS.

EPITHALAMION
SERENISSIMO REGI POLONIAE, SIGISMVNDO AVGVSTO, SCRIPTVM.

Tetraſtichon in Aquilam, Regium Inſigne.

Armigeram volucrem ſpectas rectoris Olympi?
Haec fugat aduerſos, congregat atque ſuos.
Multa virum, volitans, dat fortia corpora leto:
Hac miles trepidans, hac duce tutus erit.

Ad Sigiſmundum Primum, Polonorum Regem.

Diue ſenex, o! diue ſenex, Rex optime Regum,
Quos hodie vaſti circulus orbis habet!
Nunc cape felicis ſolatia magna ſenectae;
Hoc animi rugas tempore ſolue tui.
Illa dies venit, tacita quam ſaepe petebas
Diuos, et tecum nos, tua turba, prece.
Auguſti ſacratus Hymen, Hymenaeus, amoris
Numen, init dextro regna Polona pede.

Eſt,

Eſt, quod agas Superis grates, hoc nomine, quamuis
Nominibus multis non minus eſt, quod agas.
In te, magna ſui ſtatuere exempla fauoris,
Vix, iſto qui te vincere poſſit, habes.
Non multis tribuere hominum, tribuere quod vni,
Priſca licet repetas tempora mente, tibi.
Et quia laetitiae lux haec eſt ſacra, nouisque
Cantibus, in turba laetus et ipſe canam.
Dona canam a Superis, in te, congeſta: ſed iſtud
Dum facio, vultu, pectore, fronte, faue.
Non, vt adulator, de te cantabo: putamus
Debere, a Muſis, hoc ſcelus eſſe procul.
Sed memorare libet Diuum benefacta, Polonis,
Quae, per te, fundunt, accumulantque, tuis.
Prima venit, numerumque petit ſapientia, qua te
Sic Superum illuſtrat, ditat, obarmat, amor.
Vt ſi nil aliud miſſum tibi coelitus eſſet
Muneris, o! quantum muneris vna foret.
Vna trahit ſecum, quicquid, quantumque bonorum eſt:
Vna ſatis Ducibus, Regibus vna ſatis.
Viderat id Salomon, cui quum nimis ampla daretur
Optio, quae vellet poſcere dona Deum;
Sit mihi ſemper, ait, praeſens ſapientia, per quam
Iuſtitiae rectum currere detur iter.
Quod petiit, tenuit: tenuit quoque cetera, quamuis
Non petiit, votum ſponte ſequuta ſuum.
Victor in hoſte fuit vario, ditiſſimus idem,
Clarus in extremi finibus vsque Noti.

Sub-

Subiectis carus populis: vicinia, et vrbes
Hunc ſtupuere, aliquem non ſecus atque Deum.
Hoc dabat illa ſibi, quam dono acceperat: hoc dat
Et tibi, dat paribus teque vigere bonis.
Victor in hoſte venis vario, delubra trophaeis
Quod ſatis oſtendunt noſtra referta tuis.
Te toties ſenſere Getae, totiesque quid eſſet
Praedari, damnis edidicere ſuis.
Oſſa Lopuſneum, Viſnouiciumque, per agrum,
Et Clecium, faciunt hanc mihi ſparſa fidem.
Senſere et Valachi, quorum, quem vidit in alta
Neſter aqua, teſtis ſanguinis eſſe poteſt.
Teſtis Obertinus grauior nouitate, quod eius
Gentis adhuc tinctum ſanguine gramen habet.
Hic tibi, lux patriae, vicit Tarnouius, idem
Maxima Gradiui gloria, magna togae.
Auſus in innumeras inducere ſigna phalanges
Paucula, et inuicta ſpem ſuperare manu:
Vt documenta daret ducibus, virtute virorum
Quam numero melius maxima bella geri.
Haec eadem quamuis et tu documenta dediſti,
Quum Baſili magnas vis tua fregit opes.
Hic erat, (vt diſcat veniens de carmine noſtro
Poſteritas, olim ſi mea ſcripta leget:)
Moſcorum, quam lata patet gens illa, tyrannus,
Militiae dubium clarior, anne domi?
Regnandi cupidus, Lituana per arua, per vrbes,
Et fieri gemini Rex, dominusque, ſoli.

Spem

Spem dabat hanc, odio in patriam ſtimulante, Michael
Transfuga, et ad tantum ſollicitabat opus.
Ergo ſuos capere arma iubet, cepere frequentes
Arma: ſuum ſequitur gens numeroſa ducem.
Ducit, et ad quasdam Lituani nominis arces
Pergit, in ingentem cuncta trahitque metum.
Iamque Boryſtheneas ſua caſtra locarat ad vndas,
Occurriſſe ſibi quum tua caſtra videt.
Flumen erat medium, ſubito confligere, per quod
Non datur, et pronos Phoebus agebat equos.
Nox ruit, inuoluitque diem, per cuncta quietem
Diffundit placidam compita, rura, domos.
Sed non per noſtros equites: ii namque natatu
Traiiciunt medias, tempore noctis, aquas.
Hoc faciunt pedites, quali tum ponte dabatur
Sublica lemborum plurima functa vicem eſt.
Sciſſe putant hoſtem, ſed non curaſſe tueri
Ripam: ſic paruam tempſerat ille manum,
Vt ſimul ac foret orta dies, captiua flagellis
Agmina noſtra ageret, ſic ſine caede, domum.
Haud aliter, quam quum paſtor, ſub ouilia, lento
Vimine morigeras pergere cogit oues.
Non ita Coelitibns viſum eſt, odere ſuperbos,
Quod tibi res illo eſt teſtificata loco.
Nam ſimul atque dies felici effulſit ab ortu,
(Natalis Mariae, Virginis, ille fuit:)
Signa canunt, coëunt acies, fugit hoſtis, aceruis
Caeſorum premitur, ſanguine ſtagnat humus.

Quid

Quid memorem captos proceres, quid ſigna, Ducesque
Coniectos ſeruas, in ſua vincla, manus?
Fama volat facti, terram vulgata per omnem,
Quae magnum, Európae nomine, nomen habet.
Tunc etiam Decimum fautori egiſſe Leonem,
Roma refert grates, per ſua templa, Deo:
Collibus in ſeptem, laetos repetiſſe triumphos,
Et feſtos aliquot continuaſſe dies.
Hoc fecere alii Reges, Chriſti arma profeſſi.
Conflictus tanti nominis ille fuit.
Quem dum nequicquam vlciſci gens victa laborat,
Illuſtrat titulos, congeminatque, tuos.
Auſpice te ſiquidem, quod ſeptima computat aeſtas,
Stelligeri gladio tot periere ducis
Millia Moſcorum, vt dubium res vera putetur,
Quum Starodubeas cepit, et vſſit, opes.
De Pruſſis taceo, Princeps inuicte, ſubactis,
De nigrae imperio praetereoque Crucis.
Nil, Alberte, tua de conditione loquemur,
Carminibus laedi ne videare meis.
Hoc tibi gratabor tantum, quod auunculus idem eſt,
Qui victor, terrae qui dominusque tuae.
Felices, iſto quos ſub victore locauit
Bellona, illius ferre deditque iugum:
Qui victis pacem indulget, quam propter et vnam,
Arma mouet, quoties ſcilicet arma mouet.
Hanc gladio ſolamque petit, ſolamque tuetur;
Hanc propter ſolam, plurima bella mouet.

Ecce

Ecce! ſilent Moſci, Valachi, Turcaeque, Getaeque,
Tot bellis pax eſt parta, Polone, tibi.
Pax tua rura colit, pax laetis errat in agris,
Diues ſecurum flore reuincta caput.
Quae latrociniis loca quondam infeſta fuerunt,
Ire iubet tutis mercibus, ire rotis.
Sic opibus patriam mirandis ditat, et infert
Noſtro fortunae munera cuncta ſolo.
Qua iam parte boni nullis concedere terris,
Gentibus et nullis, Vandalis ora poteſt.
Quod licet omni alio mirari tempore detur,
Hoc tamen inprimis tempore cuique datur:
Quum celebrant, Rex magne, tui connubia nati
Et proceres, et plebs, et ſimul omnis eques.
Omnia collucent auro, fulgore metalli,
In ſubiectam oculi deiiciuntur humum.
Multus onyx radiat, radiant per cuncta pyropi,
Quique timet chalybis vulnera nulla, lapis.
Totque amethiſtorum, beriillorumque, videtur
Ignibus incendi nox quoque poſſe mihi.
Nec ſaltem ſplendentque viri, ſplendentque puellae
Vndique; ſed fulgent eſſeda, fulget equus.
Diuitiis ingens, quamuis ingentior armis
Ille erat, allatum cui diadema Duci eſt.
Non auditus honos! allatum Caeſare ab ipſo,
Iſte nepos primi Caeſar Ottonis erat.
Diuitiis ingens Caſimirus: et ille, merenti
Patria cui Magni nomen habere dedit:

Sed

Sed populus, ſub vtroque, fuit pannoſus, et vnus
Orbe alio vectas fiſcus habebat opes.
Nunc paſſim in vulgo videas, quae, tempore primo,
Non niſi magnorum dona fuere Ducum.
Nec loquor id, quod opes, in ſumma laude, locari
Poſſe putem, ſummis aequiparemque bonis.
Ferro, non auro, nomen quaeſiuimus, aurum
Hoc ipſum ferri nunc retinemus ope.
Sed quia commemoro, quae Dii dant munera nobis,
Per te, rebar et hac parte ſilere nefas.
Nec veterum ratio morum mutata ſileri,
Pulchrior et ſub te Principe facta, poteſt.
Feciſti, ſollers neglecti cultor vt horti,
Omnia qui cultu commodiora facit.
Mitigat agreſtes, meliori palmite, truncos,
Plantarum mutans inſitione genus.
Barbaries vetus illa tuis procul exſulat oris,
Ad conſanguineos eſtque reuerſa Getas.
Bella prius tantum, caeſim punctimque ferire,
Vincere, terga ſequi, Sarmata doctus erat.
Nunc bene nouit et haec, et nouit cetera, vitae
Quae quis in vrbanae partibus eſſe putat.
Tot loquitur linguis, tot magnas excolit artes,
Siue illae poſcunt pectora, ſiue manum.
Qui, ſub patre tuo, vixere, et fratribus, iſtam
Ad vitam clauſa ſi reuocentur humo;
Noſcere vix poſſent natos: ſic corporis ipſos
Paene habitus etiam tempora noſtra nouant.

Sub ſcapulas illi tortos habuere capillos:
Maior inumbrabat quem coma, pulcher erat.
Pulcher erat, longis cui cornibus armabantur
Falcati res o prodigioſa! pedes.
Haec periere: manent, quae, tempus in omne, manere
Vt poſſint, ſummum, turba, rogate Deum.
Iura manent, leges florent, decreta parentum
In veteri regnant intemerata loco.
Regnant, teque diu cupiunt ſibi viuere, per quem
Deſpiciunt vitae cuncta pericla ſuae.
Per quem creuerunt, et, in omnia regna, Poloni
Imperii ramos explicuere ſuos.
In Pruſſos, Ruſſos, in te, Mazouia, terras
In, Lituane, tuas, in, Samagitta, tuas.
Tot tibi namque colunt populi, ſpatia vltima coeli
Algentis, variis moribus, atque ſonis.
Et tamen iis, illisque ſimul ſic iura miniſtras,
Carpat vt officium nulla querela tuum.
Quae vagus in nemora euaſi? quos auius erro
Per ſaltus? rectum quis mihi monſtrat iter?
Nemo hominum: Superi ſuccurrite: quaero cupitum
Ingentis finem feſſus habere viae.
Abnuitis? quid id eſt? veſtras ego ſcilicet aras,
Hic ſi finis erat, praeteriturus eram?
Quas ſolido dedit argento, veſtrisque ſacrauit
Numinibus, Regum gloria, veſter amor.
Impenſae maioris opus, quam credere poſſit,
Qui non ſigna oculis viderit illa ſuis.

E

E ligno certe vili ſic alta dolari,
Aut ſaltem e cera fingere, ſumtus erat.
Hoc vnum qui cernis opus, tecum illius auctor,
In reliquis, quanta ſit pietate, puta;
Qui ſic argento aedificat, fuluoque metallo;
Quot, credis, ſtruxit ſaxea templa Deo?
In quam multa tulit ſacros delubra paratus?
Sacrorum famulis munera quanta dedit?
Quos ſtatuit reditus? quo viuere iure quietos
Iuſſit? quam vario protegit inque metu?
Perge, Pater patriae, pietatis magna tuliſti
Praemia, ſed reſtant vberiora tibi.
Crede mihi, reſtant: vitam fauere per omnem
Quae tibi, non peius nunc tibi fata fauent.
Quodque prius, quam natus eras, te Numen amauit,
Quid faciet merito iure, dabitque, ſeni?
Namque prius, quam natus eras, te Numen amauit,
De tanto naſci ſanguine quando dedit.
Rex pater eſt, et aui Reges, longiſſimus ordo
Magnorum, per quos ſtirps tua ducta, Ducum.
Sed fuerint parua haec, tibi quae vidiſſe negatum eſt,
Quanta datum eſt iuueni cernere, quanta ſeni?
Fratrem Pannoniis, et eundem iura Boemis
Reddere vidiſti conſociata tuum:
Et tenuiſſe duos, aetatis iure priores,
Germanos, quae nunc ſceptra paterna tenes.
Fratrem Romano tectum rubuiſſe galero,
Inque Dei geminos ius habuiſſe greges.

Hos gratare tibi fratres: gratare ſed illum
Amplius, in diuos quem ſua Vilna refert.
Ad cineres cuius, voti damnata, rependit
Saluifico grates plurima turba Deo.
Sicut ad Occiduae ſacra limina Compoſtellae;
Sicut apud tumulos, inclite Tybri, tuos.
Nam quid ego numerem, dignas te fratre, ſorores,
Quae tibi Teutonicos tot peperere Duces?
Quid generum, Regem? Regemque, ex fratre, nepotem,
Turcica quem ſanctae bella dedere neci?
Quid reliquam generis ſobolem, quae ſi quis, ab illa,
Hoc quaerat, ramos neſciat ipſa ſuos?
Fuſa, velut patula de quercu funditur ingens
Progenies, frondem pullulat inque nouam:
Stant circum matrem prognatae glande ſorores,
Turbaque cognatum denſat vtrinque nemus.
Fruſtra illam tentet ſiluam numerare colonus,
Otia quum feſtas donat amica dies.
Fruſtra et ego tentem ſiluam numerare tuorum:
Cetera fortunae proſequar ergo tuae.
Vidiſti, quos iam perſtrinximus ante, triumphos,
Et patriae inſolitas floridioris opes.
Imperium multis moderaris, ſoſpes, ab annis,
Quod diuturnus adhuc vt moderere, precor.
Vidiſti natum, quod Rex nemo ante Polonus,
In titulos vngi, conſtituique, tuos:
Et cuncti iuſſu populi, cunctique Senatus,
Delata in teneram ſumere ſceptra manum.

Ex

Ex illo genitos, Princeps inuicte, nepotes
Vt videas, reſtat quod tibi, fata dabunt.
Idque parant hodie, quum magno fertur ab Iſtro,
Ad te, fulgidior ſidere virgo, nurus.
Auguſto coniux: Reges paritura Polonis,
In quibus ingentes conſpiciantur aui.
Ergo, beate Senex, Rex feliciſſime Regum,
Quos hodie vaſti circulus orbis habet.
Nunc cape longaeuae ſolatia ſumma ſenectae,
Nunc animi rugas, nunc age, ſolue, tui.
Gaudia congemina, quorum tibi iuſtior iſtis
Iam vix, in terris, cauſſa venire poteſt.
In coelis veniet poſthac: ſed vt illa, precamur,
Sera ſit, et noſtrum te ſinat eſſe diu.

Ad Sigismundum Secundum Auguſtum, Polonorum Regem.

Frena citis properentur equis, Auguſte, propinquat
Romani Regis filia, ſponſa tibi.
Obuius exibis: ſic excipienda puella eſt,
Sola tui partem digna tenere tori.
Digna, loquor, ſola haec, et quod de ſanguine tanto eſt,
De quanto coniux debuit eſſe tibi.
Et quod ea facie eſt, quam paucae forſitan aequent
Reginae, certe vincere nulla queat.

Nec narrata loquor: Vidi, vidi ipſe Viennae,
Tempore quo pauper diuitis hoſpes eram.
Ibat in antiquam Stephani ſpectabilis aedem
Maternos virgo, quod ſolet, ante pedes.
Lumina ſidereis aequans rutilantia flammis,
Purpureo roſeas tincta pudore genas.
Progrediens ad templa patris virguncula donec
Caſta fuit; Ledae filia talis erat.
Singula nam, quid ego pingam? mox ipſe videbis
Singula, et ipſe rei tu tibi teſtis eris.
O felix virgo facie, felixque marito!
O ſortita parem ſtirpe, decore parem!
Non bene conferri pulcher cui poſſet Adonis,
Non Nireus, Phthii cura, dolorque, ducis.
Non Phryx ille puer, patria quem falſus ab Ida,
In coelum, rapuit praepetis vngue Iouis.
Sic tibi laudari ſat habes, hac luce, maritum,
Quamuis et ſemper laus habet iſta locum.
Vt pulchrum eſt, Regem virtutibus eſſe priorem;
Corpore ſic alios exſuperare decet.
Certe id, in Atrida, ſapiens laudauit Homerus,
Non Maro in Aſcanio praeteriitque ſuo.
Quum geminae ſtarent acies, ad Pergama, proque
Coniuge proriperent ſe duo ad arma viri,
Spectator Priamus populorum Agamenona cernit
In turba, ad Graiam ſic loquiturque nurum:

Dic

Dic mihi, quis vir hic eſt, mea filia, cuius imago
Conferri Superis, totaque forma, poteſt?
Eſſe puto Regem: non illo ſcilicet alter
Eſt oculis viſus pulchrior ante meis.
Quid Maro? forma, alios ante omnes, pulcher Iulus:
Filius et certe Regis Iulus erat.
Quando igitur ſpecies non eſt laus infima Regum:
Infima laus non eſt illa, *Secunde*, tibi.
Sint in te quamuis aliae, quas pono ſupremo,
Iure, gradu; at non ſunt temporis huius opus.
Temporis eius opus fuerint, quum noſtra triumphos,
Quos victo duces hoſte, Thalia canet.
Nam duces: ſpecimen tantae puerile dediſti,
Progreſſus Chocimi rura ſub vsque, rei.
Speque tuam impleſti patriam, terroribus hoſtem:
Tale rudimentum par erat eſſe tuum.
Leſconem puerum tunc es virtute ſequutus,
Albae cognomen cui poſuere comae.
Illum, militiae cupidum, tutela Senatus
Armati dum vult tutius eſſe domi,
Cur, ait, o proceres! ſine me properatis in hoſtem?
An quia nondum aetas creuit ad arma mihi?
Non haſtam tenero poſſum torquere lacerto,
Non facere imbelli vulnera, vimque, manu?
Sed neque picta hoſtem vexilla, aquilaeque, trucidant,
Et tamen, inter vos, iis datis eſſe locum.

O generose puer, mira puer indole, nomen
 Poenorum summi dignus habere Ducis:
Qui, pater Hesperium dum fulminat ante Saguntum,
 Sub patris imperio tyro nouennis erat.
Hunc, Auguste, aequas animo, successibus olim
 Vinces: adstabunt fata paterna tibi.
Cuius nomen habes, illius cetera habebis,
 Haeres in cunctis dotibus eius eris.
Eius eris morum, virtutũm, pectoris, eius
 Exemplum, ante oculos, si tibi semper erit.
Cerea Romanis patrum simulacra suorum
 Proposita, in clara luce, fuere domi;
Vitro includebat curata cadauera, ad omnem
 Aetatem, Pharii postuma turba patris:
Sic vt imaginibus contemplarentur in illis
 Adsidue vitae facta, viamque, suae.
Indeque sancta leui traherent praecepta iuuentae,
 Disceret auctores quisque referre suos.
Iis tibi nil opus est ceris, vitreoue parente,
 Viuum quem referas, quemque sequaris, habes.
Aut etiam vincas, si vinci tantus ab vllo,
 Quantum aequare, foret laus nimis ampla, potest.
A te si poterit, non indignabitur; aequo
 Tantam animo patrius rem patietur amor.
Maxima dum iactas Macedo tua gesta Philippes,
 Vltima sermonis vox erat ista tui:

Non

Non potero factis vinci; si vincar, ab vno
  Vincar Alexandro, quod tamen opto, meo.
Nimirum norat sapiens Rex ille, creari
  Maiorem magno posse parente virum.
Nec sua spes illum lusit: nam tota Philippi
  Graecia, Alexandri totus Eous erat.
Et te quis sperare vetat maiora paterna
  Laude? Deus, quod ad hanc addere possit, habet.
Du modo iustitiam colito: dos vnica Regum
  Est ea, nec summo gratior vlla Deo.
Sacrorum tibi sit nil cura antiquius: illa
  Summa tuis in auis, in patre summa fuit.
Iudicii teneas recti moderamen: apud te
  Sint sua virtuti praemia, poena malis.
Sit nullo tibi turba loco, quae perdere tantum
  Nata merum est, Veneris gloria, ventris amor.
Omnis adulator, scurrae, suasorque malorum,
  Occursum trepidet, defugiatque, tuum.
Sunt alii, totum per quos, cum laude, fauorem
  Diffundas, digni per tua regna viri.
Sunt et quos patriae titulis, et honoribus, ornes,
  Consiliique loces per loca summa tui.
Adspice Podolici custodes limitis: illum
  Infestum Scythico iugitur hoste locum.
Inuenies illic aliquem, qui iure voluptas,
  Dimidiumque animae debeat esse tuae.

Qui vitam duris omnem transmiſit in armis,
　A patre non blando miſſus in arma puer.
Non, intra plumas, iuueniles perdidit annos,
　Non intra molles, ſerica dona, toros.
Cui ſomni faciles in gramine, terra cubile
　Attalicum, lectus penula, ſemper erat.
Balnea, deiecti ruptis e nubibus imbres:
　Sicca Ceres, epulae: fluminis vnda, merum.
Cantores, litui atque tubae: glomerare choreas,
　Hoſtibus horrificas conglomerare manus.
Cui ſpolium, praedaeque placent ex hoſte petitae,
　Non e vicino pauperiore domi.
Viuere qui didicit paruo, mediocribus vti,
　Purus auaritia, luxurieque, bonis.
Talibus inſenuit qui moribus, inter agendum,
　Si mandentur ei publica, qualis erit?
Non bello, pacique bonus? non protinus vnum
　Hunc in vtroque ducem ſemper habere potes?
Quis melius, bellum qua ſit ratione gerendum,
　Conſilium, quam qui geſſit et ipſe, dabit?
Ducere quis melius, qui caſtra locare docebit?
　Quo pugnam arripias tempore, quoue loco?
Exemplis in cuncta ſuis momenta feretur,
　Neſciat hiſtoricos vt bene, Graie, tuos.
Non dicet, ſic hoc, aut illud, fecit Vlyſſes,
　Sed, feci toties hoc ita, dicet, ego.

Iam

Iam pacis quis erit ſanctae vir amantior illo,
Qui belli varias comperit eſſe vices,
Et dubios caſus? idem monſtrabit, honeſta
Qua pax confieri conditione poteſt,
Quoque fouenda modo, quo ſit retinenda, videbit,
Aut qua, ſi ſit opus, reiicienda via?
Tempore pacato meditari bella iubebit,
Atque in laudatis otia rebus aget.
Tunc exerceri pubem, tunc ludere in armis,
Edere pugnarum tunc ſimulacra volet.
Educet turmas, faciet concurrere ſtructis
Ordinibus, ludent hinc eques, inde pedes.
Antiquum referet morem Lacedaemonis, et quem
Seruabat, pacis tempore, Roma domi.
Tractabunt haſtas iuuenes, non pocula: diſcent
Caſſide, non molli cingere flore comam.
Inſtitui quis enim, ſub tanti voce magiſtri,
Nolet, honoratum quem ſua vita facit?
Qui, propria virtute, aliis virtutis amorem
Incendit, factis exſtimulatque ſuis.
Sed neque Podolico tantum quaerendus in agro,
Plura latet virtus per loca, talis erit.
Rura colunt tales multi, venerantur aratrum,
Et miſera viuunt ambitione procul.
Illius ſimiles, quem ſumere magna ſecures
Roma ſuas feſſos compulit ante boues.

Quaere

Quaere modo, inuenies: oculos aduerte, videbis:
Certe oculis Reges acribus esse decet.
Quaesitos simulac inueneris, adde tuorum
Ad numerum, inque tuo limine semper habe.
Sic tibi florebit Regnum, sic gloria surget,
Sic referes magnos, vel superabis, auos.
Sic te non tantum praesens mirabitur aeuum,
Lux quoque longa tuae posteritatis eris.
Sed tu, quando geres titulo signanda perenni,
Dignaque, quae nunquam deleat vlla dies.
Sit doctos tibi cura viros adamare: Iagello
Illorum vester magnus amator erat.
Fama, per hos, rerum crescet, viuetque, tuarum,
Immortale, per hos, nomen habere potes.
Quidquid ages, scribent: totum se fundet in orbem
Laus tua, in aeternam non moritura diem.
Quanta putas, Lachus, nostrae Dux gentis, et auctor
Militiae quondam gesserat, atque domi?
Quanta pater Cracus? magna arbitror; et tamen illa
Omnia, sub tenebris, nonne sepulta iacent?
Cur, quaeso? quia sunt nullis celebrata libellis:
Tunc, puto, qui posset scribere, nemo fuit.
At veteres, Graii viuunt, cantatur Achilles,
Viuunt ad Troiam qui cecidere, duces.
Romani Reges, Medi, Persaeque legentur,
Incolumis mundi machina donec erit.

Quam

Quam bene Amyntiades igitur, dum concutit orbem,
Proterit atque armis obuia Regna ſuis,
Dicitur hiſtoricos ſecum duxiſſe poëtas,
Mandarent chartis qui ſua geſta ſuis.
Haec quoque Scipiaden cur ſit per magna ſequutus
Ennius inuictum praelia, cauſſa fuit.
Quid de Mathia dicam, (ſi forte requiris
Et noua,) defletae Principe Pannoniae?
Quidue Sigismundo de Caeſare? cuius id vnum
In vita, vulgo iudice, crimen erat,
Quod tanto doctos complectebatur amore,
Quanto ſollicitus pignora cara pater.
Hos in praecipuis ſemper numerauit amicis,
Hos lateri voluit ſemper adeſſe ſuo.
Clamabant proceres: turpe eſt tibi, maxime Caeſar,
Tantopere addictum talibus eſſe viris,
Quales parua domus gignit plerumque, parensque
Lactat in obſcuro non opulenta loco.
Caeſar ad haec: Quos ingenio natura, Deusque,
Praepoſuit vobis, praepoſuitque mihi,
Hos ego praepono cunctis, virtutibus illos
Aeſtimo: natalem quid mihi ſcire locum?
O dignam vocem Romano Principe, dignam
Caeſare, dignam aviae progenitore tuae!
Haec tibi ſuccurret quoties, Auguſte, reuoluas
Mente, fuit cuius vox ea, vir quis erat.

Nempe Sigismundus, Rex, Auguftusque: tua haec funt
　Nomina, cuius habes nomina, facta refer.
Pieriis hoc efto viris, fuit ille quod olim,
　Illum quod decuit, nec tibi turpe puta.
Sic tibi coniugium Deus, et pia fata, fecundent,
　Laeta bonum thalamo concinat omen auis.
Sic tibi nafcatur, qui te pulchro exprimat ore,
　Te fimul et magnum nomine reddat auum.
Quem videas, quod te genitor viditque, videtque,
　Poffit et vt multos, quaefo, videre dies,
Rex Regem, fceptrum geftans tua fceptra gerentem,
　Confortem imperii, participemque, tui.
Dii! noftras audite preces: pro Principe fupplex
　Hoc vos tota rogat terra Polona fuo.
Munificos, faciles, hilari bonitate, benignos,
　In populum hac facra vos decet effe die.

FINIS.